

**De sanguinis natura & constitutione exercitatio physica medica. Acc.
eiusdem pro theoria medica adversus empiricam sectam paelectio /
[Domenico Guglielmini].**

Contributors

Guglielmini, Domenico, 1655-1710

Publication/Creation

Utrecht : G. vande Water, 1704.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/r4333a5f>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>




25,974/A


D. 14 g.
17

Medical

GUGLIELMINI

134





54887

DOMINICI GULIELMINI

Phil. & Medicinae in Patav. Acad. Prof. P.

DE

SANGUINIS

Natura & Constitutione

EXERCITATIO

PHYSICO-MEDICA.

ACCREDIT

*Ejusdem pro Theoria Medica adversus
Empiricam Sectam*

PRÆLECTIO.

Editio Secunda.



ULTRAJECTI,
Apud GULIELMUM VANDE WATER,
Academiæ Typographum.

clo Icciv.



Illustriſſ. atque Excellentiſſ. D.

D. SEBASTIANO
FOSCARENO

Equiti, & D. Marci Procuratori

DOMINICUS GULIELMINUS

Æternam felicitatem adprecatur.

Eorum, qui humanæ vite caducitatem, & deplorabilem inconstantiam, benè etiam valentes, serio meditantur, neminem esse censeo, VIR EXCELLENTISSIME, qui de bonis suis, quæ, aut natalium sors contulit, aut peperit industria, ad Posteros transmittendis, temporiūs aliquando non cogitet: omnibus enim ferè persuasum est, civilem id a nobis exigere prudentiam, ut divitiarum conservationi, familiarum splendori, & nominis famæ, quantum viventes possumus, consulamus. Quod si verum est de Fortunæ bonis, quibus, qualiscunque sit testantis voluntas,

Mun-

DEDICATIO.

Mundus tamen carere non potest, quan-
tò verius erit de iis, quæ cum soli spiri-
tui adhæreant (loquor de bonis mentis)
nisi in Posterorum animas voce, aut scri-
ptis quodammodo transfundantur, cum
dominorum suorum morte, pereunt, iis-
que Literarius Orbis, veluti exhæreda-
tur. Quæ cum ita sint, nil mirum, si bo-
nus quisque Scientiarum, & Artium in-
cremento inhibans, quoties veritatem ali-
quam revelasse sibi visus est, de ea in pu-
blicum Literariæ Reipublicæ ærarium
conferenda, statim non meditetur, ut eâ
non solum ditior fiat Sapientiæ thesau-
rus, sed, quasi in mercimonium dedu-
ctâ, novis opibus comparandis aditus pa-
teat; quippe tanta est Veritatis fœundi-
tas, ut e vero verum æquali facilitate
eruatur, ac e literis syllabæ, e syllabis
vocabula componantur. Ego quidem, E-
ques, & Procurator Excellentissime,
majorum imitatus exempla, quoties per
otium licebat (licebat autem aliquando,
cum in Patria commorarer) Sanctæ Ve-
ritati sacra facere consueveram, ut tanti
Numinis particulam saltem aliquam in-
trospi-

DEDICATIO.

troficere concederetur; & in Mathematicis quidem, ni me decipiat philautia, aliqualiter voti compos sum factus, sed quid in Physicis, & Medicis præstiterim, haud satis compertum habeo; Mihi tamen conscius sum, in his quoque Disciplinis, eadem animi contentione veritatem inquisivisse, multaque scriptis tradidisse, quæ veri speciem saltem præse ferre, mihi visa sunt. Erant ea, fateor, magis expendenda, & ad Lydium plurimum observationum lapidem examinanda, antequam in commune Litteratorum penu inveharentur; verum enim verò ultimam hanc manum ipsis imponendi, & opportunitatem, & commoditatem abstulit mea a Patrio ad nobilissimum hocce Lyceum transmigratio; illic enim Medicinam faciendi plurima suspetebat occasio, hic nulla; quippe quod, & onus Cathedræ, & Serenissimæ Reipublicæ non infrequen-
tia mandata vix sinunt, ut aliò mentem convertam, quam quod me accersunt injuncta munera. Hæc igitur cum perpendam, optimèque prospiciam, vix fieri posse, ut in posterum studia mea recolendi,

DEDICATIO.

multò minus perficiendi ansa concedatur; ob idque Arti Medicæ, tanquam mortuum, vel brevi moriturum me agnoscam, statui rebus meis consulere, & eorum omnium, quæ studia in rem Medicam ante hanc facta, mihi acquisiverunt, qualiacunque sint, Litterariam Rempublicam hæredem ex asse instituere, ut quæ nec mihi, nec Auditoribus meis utilia amplius esse queunt, aliis saltem prodesse non desinant, qui eum illis nitorem addant, & complementum, quod a me expectare non possunt. Cum igitur labentibus hisce Bacchanaliorum feriis, otium aliquod, præter spem, mihi contigerit, consultum duxi, propositi mei executionem non diutiùs protrahere; cumque omnia simul, & semel in hæredem transferri non possent, prohibente temporis angustiâ, illud partitis vicibus exequi aggressus sum. Quare, sumptâ præ manibus dissertationiunculâ, quam, aliquot ante annos conscripsoram, eam editioni parare cœpi; sed ulteriori identidem, inter transcribendum, sese offerente materiâ, in ampliorem evasit Exercitationem. Hæc igitur

DE D I C A T I O.

igitur hæreditatis meæ portio, quam ju-
re primi legati publicæ luci concedo, illa
est, quæ Tuos ante pedes se sistit, VIR
EXCELLENTISSIME, a tua expostulans
auctoritate, ut ad præsentes, & posteros
æquè bene transire permittatur: Tuam,
inquam, implorat auctoritatem, ejus vi-
delicèt, quem, ut Litterarum Principem, &
Mæcenatem suspiciunt Lycea, quemque ope-
re, eloquio, & consilio præstantem, sa-
crautora Excelsæ Reipublicæ Venetæ ado-
rant penetralia. Illi igitur, ut benignum
indulgeas præsidium, enixè rogo; non e-
nim alio sidere mihi, aut rebus meis ve-
lificandum est; quippe, cum bortatu, &
auspiciis Tuis, relicto dulcissimæ Patriæ
portu, non dubitarim incerto Celeber-
rimi hujus Archilycei oceano, me com-
mittere, &, si quid felicitatis in eo
emetiendo contigit, tuo totum debeam fa-
vori, imprudens essem, si in qualibet e-
ventuum dubietate, aliò, quam ad Te,
tanquam ad sacram anchoram, confuge-
rem. Si Tibi repudiandum fuisset Exer-
citationi huic meæ de Sanguinis Natura
& Constitutione patrocinium, Te etiam

DEDICATIO.

priùs oportuisset erga me minùs esse beneficium; immensa etenim in me collata munera exigunt, ut gratitudinis, & obsequii mei symbola, luce clariùs, & Sole, emicent: oportuisset & generis nobilitate, & pietatis studio, & virtutum omnium complemento, & morum comitate minùs præstittiisse: oportuisset mitiorem de Te opinionem in Aulis Regum, penes quos Legati munere pro Patria fungens diu versatus es, reliquisse; minùs de Patriæ Majestate, Felicitate, & Tranquillitate, de Justitiæ administratione, de Civium commodo, de Bonis quibuscunque, & de universo penè Orbe meruisse, minorique gestorum tuorum famâ Europam totam implevisse: denique minori studio Lyceum nostrum, Literas, & Professores prosecutum fuisse; quibus omnibus non invitor modo, sed nisi lubens accederem, etiam cogerer, ut concupitum Opusculo meo patrocinium per importunitatem, si tantum sineret submissum meum erga Te obsequium, extorquerem. Verùm nullus vereor, quin Tua benignitas semper sibi similis existat; virtuti enim proprium est nullas pati

DE D I C A T I O.

ti vicissitudines; ideoque sicut in cæteris
præ tua singulari humanitate favisti, ita
etiam in hac opportunitate propitius sis.
*Excipe igitur, Eques & Procurator Excel-
lentissime, supplex oro, in tui Clientelam
Opusculum hoc, quod sibi diuturnam spe-
rat vitam, si immortali tuo nomine in-
scriptum prodeat. Vale ad Nestoreos an-
nos, atque, quo assoles, favore prosequi
non dedigneris*

*Tuum,
Vir Excellentissime,*

*Humillimum Addictiss. & Obseq. servum,
& Clientem
DOMINICUM GULIELMUM.*

Dabam Patavii Kalendis
Februarii 1701.

NOI REFORMATI

Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la Fede di revisione, & approbatione del P. Frà Raimondo Asperti Inquisitore nel Libro intitolato *Exercitatio Physico-Medica de Sanguinis Natura, & Constitutione, &c. Dominici Guelmini Publ. Profess. in alma Universitate Patavii*, non v'esser cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per attestato del Segretario Nostro; niente contro Prencipi, & buoni costumi, concedemo Licenza ad Andrea Poletti Stampatore, che possi esser stampato, osservando gl'ordini in materia di Stampe, & presentando le solite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padova.

Data 9. Marzo 1701.

ALVISE DA MOSTO Proc. Ref.

FERIGO MARCELLO Proc. Ref.

GIROLAMO VENIER K. Proc. Ref.

AUGUSTINO GADALDINI Segret.

T Y P O.



TYPOGRAPHUS LECTORI.

N

Ultum debet tam Medicorum quam Philosophorum natio Viro eruditissimo Boyleo , quod in rerum naturalium mysteria adeo feliciter penetraverit , abditissimos harum disciplinarum sensus eruerit , & viam monstrarit , quo ad altiora cuivis eniti jam tuto liceat. Boyleus , inquam , ut alia Viri stupendæ eruditionis specimina præteream , primus exstitit , qui etiam genuinam sanguinis naturam nobis revelavit , quiique in suo *Apparatu ad historiam sanguinis humani* odiosam illam Antiquorum Medicorum de massa humorali cantilenam in exilium abire jussit. Ejus vestigiis Celeberrimus

Au-

Typographus Lectori.

Auctor, quem denuo in lucem emitto,
insistens, naturam & constitutionem san-
guinis Dissertatione hac, brevi quidem,
at eadem dilucida & nervosa sic explicu-
it, ut hinc Antiquorum, qui in hac
materia occupati fuerunt, dogmata pa-
radoxa nobis juxta & ridicula merito ha-
benda sint. Calculo saltem suo Aucto-
ris nostri institutum comprobarunt pluri-
mi Rei Medicæ Antistites gravissimi, qui
etiam, ne res publica litteraria his cupe-
diis destituta nostris in oris foret, aucto-
res mihi fuerunt, ut libellum denuo ex-
cuderem. Subjunxi ejusdem Guglielmini
pro Theoria Medica adversus Empiri-
cos prælectionem, in qua nefandos illos
suorumque scelerum consciros ανθροφόρος
haud leviter perstringit, & tutam, ad
Medicinæ sacra feliciter tractanda, viam
præmonstrat. Valete.

D E

I

D E
S A N G U I N I S
N A T U R A ,
E T
C O N S T I T U T I O N E .

I. Ullum in Medicorum Scholis adeò frequens, & decantatum est axioma, quàm quòd Sanguis sanitatis, æquè ac morborum prima sit radix; quòd ab eo, vel in eo functiones omnes, vel unâ, vel alterâ ratione consistant; & denique quòd secundùm naturam se habente sanguine vita sit; contra verò mors, vel, qui ad mortem est via, morbus; quippe Sacrarum Litterarum testimonio *Anima omnis carnis in sanguine est*; ob idque Hebræis à Mose interdictum, ne carnibus sanguine infectis vescerentur. Quæ cum ita se habeant, mirari admodùm subit, Medicos, & Philosophos in natura sanguinis revealandâ adeo socordes exstisſe, ut pauci admodum reperiantur, qui de Sanguine egerint ex

A

pro-

2 *De Sanguinis Natura,*

professo; & præter unum Boyleum in *Apparatus ad Historiam Sanguinis humani*, quæ tantâ contentione integra diù exspectatur à Litteraria Republica, vix alterum reperias, qui hoc argumentum præ dignitate tractarit, quiq[ue] cum occasio fert de sanguine aliquid efferendi, vel rancidam illam Antiquorum, præsertim verò Arabum, cantilenam non effutiat, massam videlicet humoralem ex quatuor constare humoribus, *Sanguine*, *Bile*, *Melancholia*, & *Pituita*; quæ quidem, non ex traduce repetenda foret, sed ad rigidum examen revocanda; vel confutatis Antiquorum placitis ad generales ideas, quòd sanguis omnium humorum promptuarium sit, in quo, quidquid animalis naturæ opportunum est, reperitur, non confugiat; vel ad summum, qui illum ex vulgatis Chymicorum principiis non componat. Licet verò postrema hæc à veritate non abhorreant; non ideo tamen sanguinis naturam, quantum opus est ad Medicam Artem promovendam, explicant; sed plura adhuc requiruntur, ad te-nebras ablegandas, quibus vitalis hujus laticis vera essentia, & agendi modus involvitur. Quòcirca, non quòd credam Sanguinis naturam, quantum res ipsa exigit, in propatulo posuisse; sed ut meis disquisitionibus animos addam, & incitamentum cordatoribus Medicis ad majo-ra properandi, constitui, Sanguinis naturam enucleandam præ manibus sumere, in quo agen-

agendo non integrum molior Tractatum, sed brevem quandam adorno Exercitationem, probè conscius, majora volumina à paucis teri; minora verò ab omnibus, saltem animi gratia, lectitari.

2. Verùm, ne diutiùs in præliminaribus tempus perdam; nomine *Sanguinis* intelligo substantiam illam liquidam, quæ naturaliter continetur, & fluit per venas, & arterias; illam videlicet eandem, quæ apud Antiquos venit nomine *Massæ humoralis*, eò quod putarent ex quatuor humoribus substantiâ, & naturâ diversis coalescere, quam sententiam non putamus nobis in præsentiarum convellendam esse, cum id a plerisque ex Recentioribus abunde factum sit.

3. Destinatus est *Sanguis*, ut Animalium functionibus ferè omnibus inserviat, tanquam principium activum, a quo aliarum partium operationes dependeant, in quâ assertione neminem invenies contradicentem; quippe satis experientia suffragatur, non solum ablato, sed plurimum imminuto sanguine in Animalibus, non unam, aut alteram, sed omnes simul actiones primò languescere, mox perire, in quo mors consistit; non ita quidem, ut a sanguine actiones omnes immediatè procedant; pleraque enim, imò omnes, si arteriarum pulsus, muscularum motus, & paucula alia excipias, non a sanguine, sed ab ejus productis ducunt

De Sanguinis Natura,

originem. Præterea non sic intelligendum est, actiones omnes a sanguine prodire, ut solidarum partium coëficientias excludamus; novimus enim, vix quidquam posse sanguinem, & ab eo separata fermenta, nisi mechanicâ partium conformatioне juventur; ita ut sanguis vices obtineat activi principii, structura verò causæ instrumentalis officio fungatur.

4. Ut prædictas functiones obire possit sanguineus latex, non satis est, eum naturam, & essentiam sanguinis induisse; sed præterea requiritur in ipso *certa*, & *determinata crasis*, siue *temperatura*, quâ manente, secundum naturam; recedente, præter naturam se habere dicitur: poscit etiam certam suæ substantiæ quantitatem, nec minus exigit determinatum motum. Cumque a *crasi* cæteræ ejus qualitates dependeant; crasis verò a proportione non solum, & multitudine substantiarum heterogenearum, verùm etiam ab earumdem diverso statu respectu *situs*, *molis*, *figuræ* &c. consurgat, sequitur naturalem sanguinis habitudinem consistere, Primò, in ejus limitatâ quantitate; Secundò, in motu determinato tùm totius, tùm partium; Tertiò, in diversitate partium componentium; Quartò, in earumdem proportione; Quintò, in exactâ componentium figura; Sextò, in mole; Septimò, in situ earumdem. De quibus omnibus specialiter agendum est.

5. In quantitate Sanguinis fundatur ejus ap-

pa-

parens continuitas necessaria ad motus receptionem, communicationem, & continuationem; si enim quantitas sanguinis adeo parva sit, ut per Cordis constrictione, ab ejus ventriculis excludi nequeat, vel exclusus nequeat antecedentem urgere, intercipi motum sanguinis necesse est, cum vitæ jactura; hinc vasa semper plena esse debent sanguineâ substantiâ, cuius continuitas si tollatur, veluti cum in arterias, & venas insufflatur aer, aut alia quævis substantia cum sanguine non miscibilis, horrenda emergunt symptomata, quod idem evenit, si ex polypo, vel farcomate, vel alio consimili extraneo objecto vasorum, præsertim majorum apertura occludatur. Hinc, ut sanguinis continuatæ Natura prospiceret, non ossea, aut cartilaginea vasa animalibus dedit; verum ea ex membranis contractilibus, & distractilibus composuit; imo, arteriis præsertim, carneaæ fibras donavit, ut capacitatem mutare possent, seque, & multo, & paucò sanguini accommodare. Cæterum neque diversæ specie animalibus, neque intra eandem speciem constitutis una, & invariabilis quantitas sanguinis competit, sed quidem varia, pro speciei, ætatis, sexus, temperamenti, quin imò & plurium accidentium diversitate; ita ut vel in eodem subiecto sanguinis moles plurimum variare possit integrâ sanitatem.

6. *Motus in sanguine triplex est, alias Cir-*

De Sanguinis Natura,
cularis, alias *Agitativus*, alias *Fermentativus*.
Primus a Cordis contractione trahit originem,
determinatur a situ vasorum vehentium, & re-
vehentium, nec non a positione valvularum;
adjuvatur vero a constrictione vasorum, & mu-
sculorum ea circumprimentium. Circa hunc
motum circularem observandum est, quod licet
a causa fiat, non continua, sed reciprocâ vi
agente, siquidem systoli cordis immediate suc-
cedit diastole, cuius tempore nulla fit sanguini-
nis a cordis sinibus extrusio; nihilominus tamen
per arterias, & venas continuus, & nunquam
interpolatus est sanguinis motus, ita ut in statu
naturali nulla sit assignabilis vel minima diffe-
rentia temporis, quo sanguis per arterias non
procedat versus corporis circumferentiam, &
simul per venas a circumferentia non remeat
versus cor; id quod præ cæteris liquet ex iis,
quæ observantur in missione sanguinis, in qua
uniformi semper fluento sanguis erumpit a vul-
nere venæ inficto, non per subsultus, ut con-
tingeret, si par in vasis, ac in corde effet san-
guinis agitatio. Ut hoc Naturæ artificium pau-
cis, & ante *Borellum*, & *Bellinum* nemini co-
gnitum, clarius elucescat, libet in hoc argu-
mento paulisper immorari, ostendendo tum
modum, quo perennis iste sanguinis fluxus suc-
cedit, & organa eò conducentia, tum finem,
propter quem a Natura institutus est.

7. Observare itaque licet, præeuntibus Clas-
rissi-

rissimis Anatomicis *Willisio*, & *Stenone*, arterias praeter duplicem membranam, *exteriorem*, & *interiorum*; tertiam obtinere inter prædictas *medium*, cumque illæ nerveâ substantiâ, reliquarum membranarum more ex filamentis irregularibus in retis modum ad invicem intertextis componantur, hæc tota carnea est, fibrisque potitur muscularibus circulariter, vel potius spiraliter arteriarum tubulos circumdantibus; idque in Aorta versus cor tam dilucide appareat, ut aliquandò, non membrana carnea, sed integer musculus, quales *sphincteres* sunt, videatur. Tertia hæc membrana, quæ venis vel denegatur, vel, quod probabilius, in eis tam manifesta non est, oportet, ut duo præstet; primò videlicet robur arteriis, contra irruentem impetu sanguinem; secundò verò vim quandam constrictivam, cuius ergo arteriæ a majori diametro transeant ad minorem. Jam exprimatur per Cordis contractionem a sinistro ventriculo sanguis in Aortam: utique in hoc, ab uno ad alterum locum transitu, determinata habebit velocitatem, cuius gradus partim pendebit a celeritate, qua Cor a diastole ad finem systolis transit, sive, quod idem est, a tempore, quo Cordis sinus angustatur; partim verò a capacitatem arteriæ aortæ; liquet etenim, quod eodem manente diametro aortæ, si citius Cor antea laxum contrahatur, necessariò velocitas egredientis sanguinis major erit; &c

contra, minor, cum in hoc casu velocitas mobilis
vi energeticæ moventis debeat commensurari.
At si, eodem constante, in Corde sese con-
stringente, constrictioñis tempore, angustior
reperiatur arteriæ aortæ capacitas (libet hanc
Hydrometrarum vocabulo *Sectionem Arteriæ* in
posterum, brevitatis cauſa, nuncupare) oport-
ebit, ut sanguinis velocitas major sit; necesse
est enim, ut eodem, quo prius, tempore, ea-
dem sanguinis quantitas per angustiorem sectio-
nem transeat. Sumimus hic eandem sanguinis
quantitatem in qualibet systole a corde arteriis
subministrari; nam si haec diversa in diversis
cordis contractionibus supponeretur, oporten-
ret, & ab illa, tanquam a tertia causa, san-
guinis velocitatem auspicari. Itaque exit a cor-
de in arteriam aortam sanguis determinatâ ve-
locitate, quam quidem si retineret in toto suo
usque ad extrema arteriarum excursu, nulla
fieret earundem arteriarum extrusio; verum
hoc impossibile est, affrictus enim, quem ha-
bet Sanguis ad latera arteriarum, necessario
aliquid velocitatis subtrahit sanguini pertrans-
eunti, in quo duo subsequi necesse est; pri-
mùm quod sanguis fluens per arterias, non u-
niformi feratur velocitate; sed minori quidem
qui versus circumferentiam est, majori vero
qui per medium tubuli arteriosi, & veluti per
eius axim fluit; alterum, quod cum velocitas
retardetur ob supradictam rationem, non po-
test

test totus sanguis a corde expulsus per ejusdem, multò minùs per minoris diametri arterias, pertransire; ideo ejus pars quidem per longum arteriosi tubuli iter suum prosequitur, altera verò in ejusdem arteriæ capacitatem subsistit, locum sibi quærens ad extra, ex quo oritur arteriæ ad latera extrusio, id est, dilatatio. Cumque quò major est recessus sanguinis a corde versus partes, semper plures offendantur resistentiæ, non modò affrictus, de quo supra, verùm etiam divisionis, curvitatis, & obliquitatis vasorum, sequitur, quòd quò major est via sanguinis a corde, eò major fiat velocitatis amissio, & consequenter, quòd minori impetu affiliatur sanguis præcedens, majori verò succedens. Igitur sanguis subsequenti systole a corde extrusus duplē inveniet, vel ipso sui motus initio, in arteriis resistentiam, alteram affrictus vasorum, alteram antecedentis sanguinis, ideoque sui velocitate ab affrictu reliquā, partim urget antecedentem sanguinem, partim contra arteriarum membranas nitetur, quas idcirco dilatabit in ampliorem diametrum, absque eò quòd tamen (quod observabile) cesseret in toto sanguine fluxus per arteriarum longitudinem.

8. *Systole Cordis* non uno momento fit, sed suum habet & principium, & medium, & finem. Initio systoles subingrediens arterias sanguis, eas invenit minoris diametri, faciles idcirco ad

A s di-

dilatationem; quandoquidem distractilia quæcumque minus distractioni repugnant in principio, & exinde semper magis, quò antecedenter distractiora sunt; ideoque in principio systoles cordis, aliquantò major quantitas sanguinis insumitur in arteriarum dilatationem. Non ideo tamen minus velox fertur per arteriam sanguis; ejus etenim sectio minor efficit, ut fluens sanguis pristinam velocitatem a succedente sanguine possit mutuari. At in medio systoles, distractis jam aliqualiter arteriæ membranis, hæc ex majori distractione majorem nactæ sunt ad resistendum vim, ideoque non tantum urgentur ad latera arteriarum parietes, sed major pars impetus sanguinis nititur in sanguinem antecedentem, illumque cogit, ut a corde recedat; non ideo tamen majori velocitate, absorbente majori arteriarum dilatatione incrementum impetus, & copiæ sanguinis. Tandem in fine systoles distractæ plurimùm arteriarum membranæ eò resistentiæ deveniunt, ut vim urgentis ad latera sanguinis sustinere possint absque ulteriori dilatatione; ideoque æqualitas quædam, & æquilibrium fit inter potentiam sanguinis arteriosi extrorsum arteriarum membranas urgenterem, & resistentiam arteriarum ad ulteriorem distractionem. Cuncta hæc unius pulsationis cordis tempore, ideoque celeriter contingunt, ita ut solâ meditatione, & mechanicâ ratione assequi possint.

9. Verum paulisper consideremus sic distractam arteriam, in quo bina præcipue notanda sunt. Primum est, distractas sic arterias plus sanguinis continere quam easdem contractas, idque pro ratione amplificatarum sectionum; sive enim arteriosi canales conicam æmulentur figuram, sive, quod verius, cylindricam, cum post dilatationem breviores non sint, quam cum sunt constrictæ, constetque ex Geometricis, Conos, & Cylindros æqualis altitudinis, inter se esse in ratione basium, sequitur arteriam dilatatam ad arteriam constrictam sic se habere, ut sectio (quæ in nostro casu correspondet basi) dilatata ad sectionem constrictæ, & consequenter si sectio arteriæ ante dilatationem, evadat duplo major in dilatatione, duplum etiam sanguinis continebitur in arteria dilatata, quam in constricta. Alterum quod considerandum venit, est, quod si in statu arteriæ dilatatae fibrarum distractarum vis æqualitatem obtinet cum vi sanguinis extrorsum urgentis, quæ pars est ejus nîsus, quo cor constringitur, oportet, ut hoc cessante, illa suas vires exerat, quas prius exercere non potuit, superante vi cordis earumdem fibrarum resistentiam ad dilatationem. Hanc vim restitutionis in fibra distractili, non pure naturalem esse decuit, qualis in virgis flexilibus, in arcu, in chordis fidium &c. observatur; horum enim potentia ad sece restituendum antecedenti figuræ, aut dimensioni, cum in partium coaptatione consistat, hæc ex frequenti, saepiusque repetitâ contra-

tractione , distractione , & relaxatione variatur , ideoque restitutiois robur enervatur ; unde consultum duxit Natura , vitali in hoc ope- re non fidere naturali membranarum nervearum post distractionem restitutioi , sed fibras addidit carneas , & musculares , quarum vis non adeò hebetatur , ut expertis constat , iis præcipue , quibus mechanici motus muscularum innotescit artificium .

10. Statim ergo ac cessat systole cordis , muscularis fibra arteriam circumdans in officio substituitur , quæ consimilium in morem sese contrahens , denuo arteriæ sectionem angustare nititur , & intus contentum sanguinem comprimit , & ad motum sollicitat ; cumque ad latera obstant ad invicem accedentes arteriarum parietes ; retrorsùm verò quæ ad aortæ principium , regressum sanguini in cor prohibentes , locantur semilunares valvulae , opus est , ut sanguis quâ data porta feratur , id est antrorsum , versùs extrema arteriarum orificia , & eodem , quo priùs , tramite , imò eâdem , quâ priùs , velocitate ; licet enim , quò magis coarctantur carneæ fibræ arteriarum , eò debiliùs suum motum exerceant ; advertendum tamen est , plus sanguinis fluere per dilatatam arteriam , ac per eandem contractam , ideoque plus virium insumi in multo sanguine eadem velocitate movendo , quam in pauciore ; & consequenter licet majoris momenti potentia applicetur sanguini , arte-

arteriâ existente distractâ, quâm contractâ, non idcirco tamen sequi, minuendam esse in sanguine velocitatem, sed potius eandem, & uniformem esse probabiliter servandam. Et cum fibrarum prædictarum contractio tamdiù, quantum est ex se, continuare possit, quamdiu expellendus sanguis superest in arteriarum cavitate; ob id enim in denatis arteriæ sanguine vacuae reperiuntur (quod Anterioribus ante *Galenum* ansam dedit credendi, non sanguinem, sed spiritum vitalem in arteriis contineri) fit, ut, cum nova systole post brevem periodum antecedenti succedat, non satis relinquatur temporis exeundi ab arteriis sanguini, ut totum vas depleteatur; sed, multo adhuc superstite, novus a corde subministretur, qui illum urgeat, sique in arterioso sanguine perennet motus, modò virtute cordis, modò fibrarum motricum, quæ arterias circumvestiunt, unâ alteram reciprocis recursibus excipiente.

11. Feriante igitur corde non cessat, nec languet in suo cursu fluentum sanguinis, sed perenni, & uniformi agitatione, continuò, & continenter sua vasa discurrit; in quo sanè admirari licet providæ Naturæ artificium eò collimantis, ut nec vel tantillum sanguis a suo circulati motu deficiat, idque eo, ut quidem auguror, fine, ne videlicet spirituum animalium separatio, in quorum in nervos influxu, & continuato motu, animalium vita consistit, vel

mo-

momento temporis interciperetur.

12. Cæterùm , consimilem esse æquè in *venis*, ac *arteriis* sanguinis circulantis motum, ex eo demonstrari potest ; quòd non aliunde *sanguis venis* subministretur, quàm ab arteriarum osculis, vel quod probabilius, a porosis carnium meatibus, in quos *sanguis arteriosus*, tùm nutritionis, tùm motionis muscularum , tum aliorum usum causa effunditur; in hos enim hiantia tùm arteriarum, tùm venarum ora, illa vehunt, hæc, quod supereft, revehunt, ideoque quâ ratione exit ab arteriis sanguis, eadem & carnium interstitia perluere, & venas subingredi cogitur. Si igitur per arterias non interrupto flumine vehitur, idem etiam per venas contingere necesse est. Huic autem recursui opem ferrunt, tùm impetus sanguini a corde, & arteriis communicatus , a parte post partem, ab arterioso sanguine in venosum transiens; tùm ratio æquilibrii in ascendentibus *venis*; sicuti enim in recurvis siphonibus fluida ad eandem altitudinem æquilibrantur, & per unum siphonis crus tantùm ascendunt, quantum per alterum descenderunt, etiam præcisâ quâcumque vi externâ, ita consimilis æquilibrii ratione irruens in aortam descendenter, ejusque propagines, *sanguis*, (qui , uti in viventi animali fluidus est, ita & reliquorum fluidorum naturam sequitur) per minores ramulos a cavâ descendente prognatos primò, mox in ejus truncum ascen-

ascendere cogitur usque ad cor, etiam si hujus vis subtraheretur; quanto ergo magis si legibus æquilibrii copuletur altera vis extrinseca, scilicet cordis, & arteriarum constrictiva facultas. Aliquando etiam regressui sanguinis in cor suffragatur ejusdem gravitas, ut in venis descendib; protrusus enim per aortam ascendentem in caput sanguis, ubi minima lustraverit cerebri vaſcula, & in venulas commearit, quæ in cavam ascendentem hiant, hujus declivitas, & perpendicularis situs efficit, ut nullo extero indigeat sanguis auxilio, ut ad priora revertatur contubernia. Addunt alii peristalticum venarum motum, & valvularum, quæ in iis sunt adjumentum; ille enim motum sanguinis promovet; hoc versus certam partem determinat, ut ostendit Praeclarissimus Borellus *de Motu Animal. part. 2. prop. 33.*

13. His igitur de causis, nunc unâ, nunc alterâ, nunc pluribus ad invicem copulatis sanguinis motus circularis a centro ad circumferentiam, & a circumferentia ad centrum absolvitur, ita ut si plures in eundem finem conspirent, velocior fluxus subsequatur, si una alteri repugnet, tardior; unde factum puto, quod, quoniam descendi sanguini per arterias favet gravitas, obstat vero ascendi, *Natura Cor in medio corporis non collocarit, sed in ejus tali parte, quæ minus a capite, magis vero a pedibus removeretur, probè conscia languescens-*
tem

tem ab obice gravitatis cursum sanguinis ad superiora, vicinius exigere instrumentum sanguinis agitationem efficiens; auētum verò versus inferiora illud pati remotius, quæ tamen non unica causa est situationis cordis in medio Thorace.

14. Antequām ab hoc argumento nostras amoveamus cogitationes, duo addere liceat eidem cognata. Alterum est *circa usum auricularum cordis*, in quo assignando longè admodum aberrant *Anatomici*. Eorum opiniones hic examinare non vacat, solū verum auricularum usum ex dictis colligemus. Si nullæ adessent auriculæ, ad ostia cordis in ejus ventriculos aditum permittentia locatæ, sanè contracto corde, & ostiis admittentibus occlusis per mitrales valvulas, sanguis per venam cavam, & arteriam venosam ingressum affectans, in suo motu suspenderetur & sisteret: hic succedenti motum adimeret, & sic successivè, qui alias, ut supra demonstratum est, futurus erat continuus in venis sanguinis motus tolleretur, & periodicus evaderet; unde vel ex hac stagnatione impedimentum poneretur, non modò venoso sanguini, sed & arterioso, & consequenter ipsi cordi, quod majori indigeret vi ad sanguinem e suis ventriculis explodendum, & fortasse ab impedimento obrueretur succedente syncope; vel saltem necesse esset, ut plurimū distenderentur venarum majorum membranæ,

ut

ut locum concederent sanguini tempore systolis ab arteriis in venas transeunti, quod, citra disruptionis, aut saltem varicis periculum, fieri vix potuisset. Ut igitur hujusmodi mala præcaveret Natura, bina apposuit venarum ad Cor terminantium ostiis diverticula, in quæ systolis tempore posset se recipere sanguis eò tunc per venas fluens, & in cor fluere prohibitus, qui succedente diastole cordis, a fibris carneis, quibus auriculæ ditantur, in ejus cavitates protruditur, non solus quidem, sed una cum eo, qui toto diastolis tempore a venis suggeritur; ex quo patet, quòd sicuti tempore, quo systole celebratur, a corde in arterias immittitur non solus sanguis, qui per arterias eo tempore fluxurus est, sed is etiam, qui tempore diastolis; ita etiam in diastole cordis, non solum illi subministratur sanguis tempore diastolis a venis suffectus, sed is etiam, qui tempore systolis in auriculis collectus est; ad quod, cùm non satis esset velocitas sanguinis per venas fluentis, opus fuit novam causam motricem adjungere, scilicet copiosas, & crassiores fibras carneas auriculis superinducere, quarum beneficio altera corcula, & cordis appendices ab Anatomicis existimantur. Ab hoc igitur auricularum cordis usu novum suggeritur argumentum, quo, non interruptus in sanguine tūm arterioso, tūm venoso, motus potest ostendi.

15. Alterum, quod notandum fuerat, pertinet ad finem, *cujus gratia institutus est a Natura arteriarum pulsus*; prætermisso enim usibus, qui ad praxim medicam referuntur, illud negari non potest, quod, si canales arteriarum ossiei essent, aut cartilaginei, utique cum dilatabiles non essent, non pulsarent; sed, nisi forent dilatabiles, ita ut plus sanguinis tempore systoles cordis in arterias intromitteretur, quam ab iisdem egrediatur, non esset motus continuus, sed determinatis morulis interruptus; si quidem, resistentibus tunc arteriae parietibus dilatationi, totus sanguis cogeretur per longum vasorum suos motus exercere, & quantitas æqualis ei, quam systole suggerit, ante ejus cessationem in venas commearet; ideoque tempore diastoles cordis, nullus esset in sanguine motus ex defectu, tam causæ moventis, quam materiæ mobilis. *Dilatatio* igitur arteriarum, & exinde derivans *pulsus*, non alio fine instituitur a Natura, nisi, ut pars sanguinis, singulis cordis pulsationibus in arterias vibrati in eis remaneat, ad jugem motum in sanguine conservandum, qui idcirco ultimus est finis Naturæ in pulsus arteriarum constitutione; nisi dicere velimus necessitatem subsequentem, aut coævam primario intento Naturæ. In hoc constituit universa de pulsibus doctrina, quam, quoniam hic retexere extra chorūm esset, in aliam occasionem differimus.

16. Supereft ut reliqua, quæ ad *motum Sanguinis circularem* spectant, recenseamus. Illud primò statuendum est, tantam sanguinis quantitatem per universas arterias fluere, ab iisque egredi in venas eo tempore, quod inter unam, & alteram cordis pulsationem interjicitur, quantum a corde quâlibet systole expellitur. Hoc evidenter constat, ex eo quod si arteriæ plus eructarent in venas, quam cor suggerat, brevi deplerentur arteriæ, tollereturque sanguinis continuitas, a qua interitus. Si verò plus sugereret cor arteriis, quam arteriæ venis, necesse esset, ut adeò turgerent arteriosa vasa, ut vel ulterioris dilatationis forent expertia, sicquè motus sanguinis non esset continuus; vel eorum tunicae disrumperentur, præcedente insanabili aneurysmate. Non igitur plus sanguinis a corde exit, quam ab arteriis; quod idem eâdem ratione de venis repetendum est.

17. *Violentum esse Sanguini circularem motum*, licet viventi naturalis sit, nemo negaverit; causam enim requirit illum *efficientem*, & *perennantem*, quâ cessante, brevi cessat. Hinc cum cæteri violenti motus, quò magis a mente elongantur, cò semper languidores fiunt (quod utique non ex natura motus per se æquabilis, & æterni; sed quidem a resistentiis, quæ, in transitu ab uno ad alterum locum, occurruunt mobili) sequitur velocitatem sanguinis semper debiliorum evadere, quò

20 *De Sanguinis Natura,*

sanguis longius a corde spatium emensus est; unde in arteriarum finibus languidissimus erit sanguinis circulantis motus; cumque ex Hydro-metricis fluentium liquorum sectiones debeant velocitatibus esse reciprocæ, oritur, ut quam rationem habet velocitas versùs cor ad velocitatem in extremis arteriarum, eandem habere debeant omnia oscula extremarum arteriarum simul sumpta ad sectionem aortæ propè cor; ideoque si, ut ostensum est, velocitas sanguinis in finibus arteriarum longè minor est velocitate ejusdem in aortâ propè cor, necessariò omnia oscula arteriarum simul sumpta, multò ampliora erunt orificio, aut sectione aortæ prope cor; ut optimè ex aliis rationibus colligit Gulielmus Colle in *Libro de secretione animali*. Huic autem veritati innititur, saltem ex parte, doctrina de glandularum separationibus, de nutritione, & de augmenti termino in animalibus, de quibus omnibus alibi.

18. Praeter *motum circularem*, qui etiam *totius* dici potest, altero etiam potitur sanguis, quem *agitativum* diximus, vel *turbatum*; hicque non in toto sanguine, sed in ejus partibus est, pluresque agnoscit causas. Primò etenim, licet, ut supra diximus, motus circularis, quoad se uniformis sit, non uniformiter tamen celebratur causâ resistentiarum, non solùm in diversis ejusdem arteriæ sectionibus, verùm etiam in *eadem* sectione;

ne; certum enim est volocius fluere sanguinem, qui circa axim vasorum, quam qui prope circumferentiam, locum sortitur; atque idcirco ejusdem sanguinis, unicâ contractione a corde expulsi, alias partes velociorem, alias tardiorem motum exercere: adde diversam partium molem, & figuram, quarum ratione fit, ut aliquæ magis, aliquæ minus, communicatum impetum recipiant; undè necesse est, partes a partibus divelli, partes partibus uniri, in quo agitatio, sive turbatio, sive confusio consistit, ab hac autem fluiditas, quam, maximam partem, motui circulari deberi ostendunt sanguinis extravasati phœnomena; nam, statim ac a motu circulari sequestratur sanguis, lentescit, mox in grumum concretus, pristinam fluiditatem amittit. Secundò, prædicto motui agitativo opem fert partium diversa *gravitas*; cum enim in Sanguine diversæ gravitatis specificæ partes adsint; quarum idcirco aliæ majorem, aliæ minorem deorsum tendentiam habeant, fit, ut ab illis leviores sursum trudantur, unde partium transpositio. Et quoniam *diversitas* in *gravitate specifica*, oritur a diversa materiæ quantitate sub eadem mole, sive, quod idem est, a *diversa proportione*, quam habent inania ad materiam, fit, ut per mutuos occursus, vel disruptæ moleculæ graviores evadant, vel per aliarum combinationem leviores fiant; undè in ipsis per-

mutatur, tūm motus, tūm directio. Cum igitur aliæ partes *sursum*, aliæ *deorsum*, sive *directè*, sive *obliquè*, aliæ *lateraliter per extrusiones horizontales* promoveantur, oritur in ipsis continua *mutatio contactuum*, id quod, cum contingit in partibus crassioribus, foveatur a motu circulari, qui non satis sinit partium agglomerationem, & graviorum a levioribus separationem, ut contingit in sanguine a vena extracto. Tertio, per *respirationem* jugiter sanguini immiscentur partes aeris tenuiores, quæ probabiliter ex iis, quæ nervosè admodum probavit *Joannes Mayow*, nitrosam sapiunt naturam, quarum, utpote summi volatilem, cum plurima sit in gravitate differentia, a fixioribus partibus sanguinis, statim ac mixtæ, evolare, & se ipsas a reliquarum consortio liberare nuntuntur, sed impeditæ a membranis vasorum, succedente novi sanguinis adventu, denuo inter ejus particulas reconduntur; unde ex hac mixtionis, & separationis lucta, fit, ut, quæ in partibus fixioribus non tanta est in gravitate proportio, major reddatur, in comparatione fixarum cum volatilebus; unde major lucta, major etiam & congregatio, & disaggregatio molecularum, de qua supra. Quartò si verum est, quod *Cartesius* asserit, subtilem scilicet æthereamque materiam, ut corpora cætera, sic etiam permeare animati corporis structuram, necesse est, ut intercurrente hac materiâ subtili,

tili, partes sanguinis cieantur in motus vertiginosos, a quibus laterales extrusiones magis juvantur, qui ultimus motus ille idem est, quo fluidorum, etiam naturalium, particulæ perenniter agitantur.

19. Consurgentem ex quatuor prædictis causis in sanguineis particulis *motum, agitativum* voco, *turbativum*, vel *confusivum*, non, ut alii, *fermentativum*; sicut enim ebullitio vi ignis facta, fluviorum motus, liquorum item perennis agitatio, & similia, a fermentativis motibus segregantur, eò quòd pendeant a causâ externâ, quâ cessante, terminant ad quietem, vel nunquam cessent, quia a causâ continuò operante fiunt; ita quoniam hujusmodi agitatio sanguinis, si hic extravasetur, brevi perit, non æquum videtur, fermentationis vocabulo, ad motum sanguinis prædictum indicandum, abuti; præsertim cum fermentationis propriè dictæ, licet admodùm languidæ, ideoque ab agitativo motu obrutæ, vestigia, non omnino obscura, compareant, ex quibus fundementum duximus, tertium motum sanguini fermentativum tribuendi.

20. Igitur in Sanguine, etiam secundùm naturam se habente, plurimum verò, si a naturali statu recedat, veræ fermentationis indicia sese manifestant; quippe, si Sanguis extravasatus suæ naturæ permittatur, post serofæ partis a crassamento separationem, quæ brevè con-

tingit, non sic semper remanet, sed post aliquot dies, plus, vel minus juxta aeris temperiem, in motus fermentativos, *crassamentum* præsertim, concitatur, & fermentationem arripit corruptivam; acescit enim, foetidos emitteat halitus, aliaque promit indubiae fermentationis indicia; quod utique non fieret, nisi particulis turgeret fermentativis, quæ post aliqualem exsolutionem in motum actæ, totam massam commovent, efficiuntque, ut fermentescat. Hæ igitur particulæ sanguini, etiam cum per vasa corporis animati circulatur, insunt; & licet ab his effecti motus, ut pote non admodum validi, a valentioribus occultentur, non idcirco tamen Sanguini dengandi sunt. In statu verò præternaturali, veluti in febribus, quas Antiqui *putridas*, Neoterici *fermentativas* appellant, insigniores nimium effectus producunt, ut suo loco constabit.

21. Quare ex prædictis omnibus patet, in motu circulari fundari præcipue *Sanguinis appulsum* ad summos quosque arteriarum fines; in agitativo verò, & fermentativo, *parvum* illum *nexus*, quem partes habere debent ad invicem, continuamque diversarum molecularum generationem, quæ necessariæ sunt ad hæc, vel illa fermenta constituenda, ad has, vel illas actiones obeundas.

22. Quoniam verò non ex quolibet fit quodlibet,

bet, sed determinatum ex determinato, oportet, ut in sanguine determinatae sint substantiae, quae in singulorum fermentorum materiam possint faceſſere, quæque omnibus, & quibuscumque actionibus obeundis aptæ natæ sint; cumque non unicum sit fermentum, neque unica actio, consequenter, diversi generis substantias Sanguinis corporaturam componere, necesse est; & quoniam in diversæ speciei animalibus, aliquæ actiones inter se conveniunt, alia non; idcirco opus est, ut juxta specierum diversitatem, plurima quidem in Sanguine homogenea sint, quæ diversæ speciei animalibus æquè convenient; plura item heterogenea, huic potius, quam alteri speciei accommodata. Hinc, licet perfectiorum animalium sanguis, quoad sensum vix diversificetur; in insectis tamen, & modus substantiae, & color, & alia accidentia plurimum immutantur; quod idem proportionaliter repetendum est in ejusdem speciei subjectis, imò & in eodem; nam secundum temperamentum, etatem, sexum, regionem, conditionem alimentorum, & similia, partes sanguinem componentes, non modicè possunt diversificari. Generaliter igitur in diversitate partium sanguinis fundatur fermentorum, & actionum diversitas.

23. Pariter, quoniam non unumquodque eadem ratione necessarium est, sed unum magis, aliud

minùs ; neque unumquodque eâdem ratione activum est, sed diversimodè, & insuper quoniam excedens, vel quantitas, vel actio unius, minuit actionem sui contrarii, opus est, ut omnia ritè habeantur, non solum certam inesse Sanguini determinatarum substantiarum diversitatem, sed prætereà exactam earundem proportionem ; cum enim à mutua actione, & reactione miscibilium, emergant in Sanguine determinatæ moleculæ, quæ, vel fermentorum substantiam componere debent, vel ipsæ suis actionibus immediate fungi; variatâ mixtorum proportione, variabitur & terminus eorum mutuæ actionis; quare etiam variabitur in Sanguine certarum molecularum, secundùm naturam exactarum, *generatio*, quocirca, si una prævaleat, vel in excessu suam operationem elicit, vel quarundam molecularum generationem impediet, quarundam prævertet, quarundam etiam supra exigentiam fovebit, prout ad earum generationem, prævalentis actio majorrem, aut minorem habebit concursum, atque hinc nova, & semper major impropositio emerget, majorque Sanguinis labes. Fundatur ergo in *componentium proportione*, saltem partialiter, *generatio diversarum molecularum*, ex quibus Sanguis, secundùm naturam debet consistere, & consequenter fermentorum omnium, & actionum harmonia, & naturalis mediocritas.

24. Ad rectam *Sanguineæ massæ constitutio-*
nem, non satis est, *limitatam nancisci copiam*
materiæ, nec satis, *certis motibus agitari*; neque
sufficit, *determinatis substantiis*, *iisque in cer-*
ta dosi, & *proportione componi*; sed ulterius re-
quiritur, quendam gradum subtilitatis quascun-
que substantias obtinere, ut materia Sanguini
idonea esse possit; oportet enim, ut *Sanguis*
secundùm omnes suas partes, *minima perluat*
vasa, & secundùm aliquas, vix præ parvitate
cogitabiles, *poros subingrediatur*, quorum capa-
citatem, si nimiaæ crassitie ergo, aliquæ parti-
culæ Sanguinis subire non possint, aut si sub-
eant, convenienti motu nequeant agitari, vel
earum actione fraudabitur pars aliqua, vel ipsæ
aliis viam præcludent; vel quia corporum na-
turalium activitas in subtiliatione partium, ea-
rumque cum aliis combinatione consistit, eæ-
dem si utrâque, vel alterutrâ ex his conditio-
nibus spolientur, necessariâ pariter actione spo-
liatæ marcescent. Accedit, quòd cum sepa-
rationes fiant *ope minimorum porulorum*, nisi
partes Sanguinis eam obtineant parvitatem,
quæ à porulorum diametris exposcitur, sanè
nulla separatio obtineri poterit, ideoque ne-
que ulla generatio eorum fermentorum, quæ
mediis secretoriis à Sanguinis massa separantur.
Tandem *major*, vel *minor partium moles*, ponit
frequenter majorem, vel minorem specificam
gravitatem; *majus*, vel *minus impedimentum*

ad

ad motus impressos exercendos, à quibus diversi gradus agitationis in Sanguine suboruntur, ut supra ostendimus. Quare in mole partium Sanguinis, fundatur sæpiùs earum partium activitas, & semper, sed non solum, omnis separatio.

25. *Figura etiam partium Sanguinis*, non minùs necessaria est, quàm reliquæ superiùs exactæ conditiones; cum enim omnis activitas à *motu* quidem, sed non minùs à *figura mobilium* oriatur, sanè si certum quid præstare debent singulæ Sanguinis partes, certâ etiam figurâ potiri necessarium est; hujus enim ope magis, vel minùs mobiles fiunt, sive potiùs, magis, vel minùs sibi oppositas superant resistentias; magis, vel minùs particulas alias extrudunt, scindunt, penetrant, adhærent, poros subeunt sibi proportionatos &c. adeò ut *figura partium Sanguinis*, multum ejus activitati tribuat, sive in *nutritione*, sive, quod majus & mirabilius, in *prima embryonis delineatione*, sive in *actionibus quibuscumque*, sive in *separationibus perficiendis*; & ulteriùs in *figura partium* consistat tota ferè vis fermentorum. Neque tamen credendum est, partium prædictarum figuram idem propemodùm esse, ac diversitatem substantiarum, de qua in superioribus verba habuimus; licet enim, loquendo de primigeniis particulis (iis videlicet, quæ *creationis termini* sunt, non autem *concretionis*) verum sit,

sit, non aliam esse inter unam, & alteram, diversitatem substantiæ, nisi illam, quæ à mole, & figura desumitur, nihilo tamen minus, id non asserendum absolutè de particulis per concretionem, & aliarum unionem compositis, quæ *moleculæ*, vel *racemi*, à Recentioribus nuncupantur; hæ enim possunt eandem extrinsecam figuram habere, quantumvis, diversis prædicto modo particulis primivis componantur, pariterque diverso circumscribi termino, licet componentia in utrâque ejusdem sint *molis*, & *figuræ*. In Sanguine autem primigeniæ particulæ nunquam, aut rarò sc̄ solis sunt, sed totum opus *moleculis*, & *concretionibus* tribuitur, in quibus aliud est substantiæ diversitas, aliud figuræ dissimilitudo. Redeundo ergo ad nostrum propositum, in *figura partium* fundatur *activitas Sanguinis*, diversæque ejusdem *qualitates*, & *passiones*.

26. Denique parùm rectè suis muneribus fungeretur Sanguis, nisi perfecta adesset quarumcunque partium *mixtura*, ita ut sensibiliter Sanguis *homogeneum quiddam* esse debeat, in qualibet sui parte sensibili totum id proportionaliter continens, quod in universa ejus massa continetur, id quod importat sitûs determinacionem in partibus Sanguinem constituentibus. Debet enim aptus natus esse Sanguinis, ut in singulis partibus *functiones moliatur*, quæ cujuscunque

par-

partis propriæ sunt; ideoque & in singulis partibus, instrumentis potiri, quibus eadem actiones perficiantur: hæc autem instrumenta sunt partes sanguinis determinatae, & consequenter in singulis Sanguinei laticis portionibus, tales determinatae particulæ necessariæ sunt. Cumque nihil sit, quod advöcet unum genus partium Sanguinis ad partem corporis determinatam, sed singulæ eodem impetu ferantur (communitia enim omnino est Priscorum *attractrix facultas*) necesse est, ut in qualibet parte Sanguinis omnis generis particulæ reperiantur; unde est, quod sanguinea massa Promus condus, si ve communè *Dispensatorium* à nonnullis, non ineptè, indigitetur. Contingit tamen, naturam aliquando determinatam mixtionem in determinata parte affectare, quam in altera renuit: id efficit per *affusionem determinati liquoris massæ sanguineæ in parte determinata*, uti succedit ad annulum Bilsii in vena axillari sinistra, chyli, & lymphæ; in pulmonibus particularum aeris; circa jugulum, liquoris Thymi; circa emulgentes, laticis, à renalibus glandulis secreti; & circa vasa splenica, lienaris fermenti; verùm hæc non mixtionem tollunt, sed alterant, & parti, cui destinatur, congruentiorem efficiunt peculiari providentiâ Naturæ. Præterea si Sanguinis particulæ heterogeneæ ab invicem separarentur, deberent homogeneæ ad invicem congregari, quare earum moles, & figura mutaretur

retur in massam informem. Ne ergo hæc, & illa mutentur, necesse est, ut ad invicem *misceantur*, aut potius *confundantur*; re vera enim *exacta mixtio* illa non est, de qua mox verba habuimus, sed *accidentalis*; a Natura tamen intenta, diversorum confusio, eò solùm collimans, ut ubique totum sit, & in summa libertate constitutum, ad fibi determinatas actiones obeundas. Fundatur ergo tota ferè *Sanguinis crasis*, tūm in *mixtorum proportione*, tūm vel maximè in eorum *mixtura*, a qua partialiter *fluiditatis gradus*, *color*, *substantiae modus*, *homogeneitas*, & similia.

27. In his omnibus cum consistat Sanguinis secundūm naturam status, non ita velim intellegas, ut singulæ quæque ex allatis conditionibus primaria sint radix suarum operationum, sed tantummodò immediata; satis enim constat subtiliationem, sive molem partium, quæ sunt in Sanguine, primariò oriri a chyli tritura-tione, depuratione, subtiliatione &c. in ventriculo, intestinis, & mesenterio celebratis, quibus suppositis, ad perficiendam, tūm *molem*, tūm *figuram*, tūm *situm*, prout exiguntur in Sanguine, patet concurrere, & *anteecedentem statum chyli*, & *triplicem Sanguinis motum*, & *inanitionem*, & *repletionem vasorum*, & *diversitatem substantiarum*, & earundem *proportionem*. Si enim chylus in ingressu in subclaviam secundūm naturam se habeat, id est, si par-

partibus componatur in Sanguinem transmutabilibus; si iis omnibus quæ ad constitutionem Sanguinis necessariæ sunt, & in debita proportione; si taliter comminutis, ut actio antecedentis Sanguinis, neque nimis, neque minus repatiatur &c. liquet, fore ut chylus per motum, & actionem resistentiarum magis subtilietur, utque partes subactæ eam figuram induant, quam commixtæ in chylo substantiæ, quam statuta earum proportio, & diversæ inde ortæ agitationes exigunt, & permittunt; ita ut & *moles*, & *figura* à prædictis etiam oriantur, & iis secundùm naturam se habentibus, etiam *situs*, qui est *status mixtionis*, necessariò subsequentis ad prædicta omnia.

28. Hic tamen plura notanda occurruunt, scilicet quod dictæ conditiones in gradu quodam indivisibili non consistunt; neque enim exigitur ad statum Sanguinis naturalem, certa ejus mensura, quam excedere, aut non attingere, citra recessum à naturali statu, non liceat; præterquam enim, quod quantitas Sanguinis debet proportionari, & vasorum capacitati, & velocitati motus, & temperamento subiecti, & exigentiæ functionum, quibus animal potiri debet, quæ cuncta variationem suscipere possunt propter *atatem*, *tempestates anni*, *regionis constitutionem* &c. constat, non ita limitatam esse sanguinis copiam, quin sub majori, aut minori ejus quantitate, sanitas integra queat consistere.

Id ipsum intelligas de *mōtu* tūm fermentativo, tūm circulari, tūm agitativo, in quibus sui ad- sunt, tūm in excessu, tūm in defectu termini; idem de diversitate, & proportione substantia- rum, potest enim aliquid esse superfluum, & aliqualiter deficere, & tamen notabiliter non laedet. Nec dissimilis discursus de mole, figura, & situ partium, etenim respectu molis, etiam in ordine congenerum, ali- qua esse potest in mole inæqualitas; respectu figurarum, diversitas; respectu sitūs, major, vel minor mixtura; & id totum impunē. Sicuti enim in sanitate latitudo quædam est, ita & in ejus causis, eadem est limitum distan- tia, adeo ut ita se habeant superius exara- tæ conditiones in statu perfectissimo constitu- tæ (tūm absolute, & in ordine ad se, tūm per relationem omnium ad se invicem compa- ratæ) ad statum minus perfectum; sicuti se habet apud Antiquos Medicos temperamen- tum ad pondus, ad temperamentum ad justi- tiam; nam juxta saniorum mentem, tempe- ramentum ad pondus, sive mavis, quod in- de sequitur, summum sanitatis, in aggrega- to causarum prædictas omnes conditiones ponentium in statu perfectissimo, consistit. Quin imò, cum idem effectus a pluribus causis partialiter operantibus pendere possit, v. g. cùm partium subtiliatio fieri queat, & a moti- bus sanguinis, & a proportione miscibilium,

& a diversitate occursum; si una ex his causis minuatur, potest ejus effectus per auctam alterius concausæ energiam suppleri; ut si deficiente motu agitativo, circularis augeatur, aut si major fiat proportio fluidi naturalis, ad sibi mixta heterogenea, ut suo loco dicetur; in hujusmodi enim supplementis summè providam & sollicitam esse Naturam, non semel observamus.

29. Notandum tamèn, nullam esse necessitatem, ut supra innuebamus, quòd partes sanguinis subtilientur, usque ad primorum componentium dimensionem, cum in aliquibus solum id possit succedere, in aliis non item; imò probabiliter satis sit, ut ad principia Chymica summa resolutio procedat, sive ea ex primigeniis particulis componantur, sive non; cum alioquin quamplures moleculas, sive racemos, qui composita sunt corpora, in sanguine nemo negarit; etenim manifestissimè bilis particulæ servantur in sanguine a vena extracto, quæ cum congeruntur in Ictero, totam cutim inficiunt, & tamen bilis moleculæ, procul dubio, compositum quoddam sunt ex *sale*, *terrâ*, & *adustâ sulphure*: id ipsum de *chylō* observavit *Loverus*, de *fibra sanguinea Malpighius*, & de *plano-ovalibus corpusculis Leenwenhoeck*. Ex adverso autem manifestissima est *Aqua*, & ramenta salina, quæ chymicarum operationum opus esse solent, &, qui supra Artem plurimum sape-

re videntur, spiritus animales.

30. Generalia hæc quidem sunt, & quorum-cunque animalium sanguini, ferè omnia, adaptabilia; ad particularia verò descendere, quod scientiæ votum, & opus esse videtur, magis fortasse difficile, quàm mentis humanæ facultas possit. Hoc tamen ferè ad evidentiam accedere videtur, ideò in animalibus juxta speciem, diversam esse sanguinis naturam, quia etiam variant inter se specialiter jam exaratæ conditiones, præcipue verò, quæ in diversitate componentium, & eorundem proportione fundantur. Quòd enim Sanguis piscium ad tantum frigidus sit; quòd in exanguibus decolor, aut flavescent; quòd in Praxi medica hoc potius, quàm alio sanguine pro alicujus morbi medela utamur; quòd in diversi generis viventibus discordes admodùm operationes efficiantur; imò, quòd ejusdem speciei subjectis in hos potius, quam illos mores, aut morbos, prona esse contingat, procul dubio a diversa Sanguinis crassi præcipue emanare videtur, licet in pluribus casibus vix, ac ne vix quidem differentia percipi possit.

31. Copulando tamen experimenta, & observationes rationi, non alio pacto nobis vide-mur de humano Sanguine philosophari posse, nisi priùs considerando partes, & substantias in ejus massam confluentes; Secundò, rimando ejus substantiam; Tertiò, dissolvendo ejus mixturam

De Sanguinis Natura,
per analysim Chymicam; Quartò, eliciendo ex
phænomenis existentiam causarum; Quintò tan-
dém, observando liquidorum naturam, quæ ex san-
guine separantur.

32. Dupli indiget homo quilibet alimen-
to, *Aere* scilicet, & *Cibo*; non ita tamen, ut
æqualis sit utriusque necessitas; experientia e-
nim constante manifestum est, *subtracto*, vel
Aere, vel *Cibo*, vitam diù durare non possè;
sed sublato quidem *Aere* citius, intra pauca
scilicet momenta animal interire, at sine *Ci-
bo* diutius vitam protrahi. Hinc Hippocrates
lib. de carnibus, septem dierum inediā repara-
tionem non admittere censuit, sed necessa-
riò ad interitum ducere; cum e contra spi-
ritus interceptio intra paucula temporis mi-
nuta hominem jugulet, ut apparet in suffo-
catis. Major igitur est *Aeris inspirati* nece-
sitas, quam *Cibi*, aut *Potus*; idque, ni fallor,
quia *Aeris* in sanguinem impressio transitoria
est, *Cibi* verò magis *durabilis*; quare fugiti-
va impressio citam postulat in integrum resti-
tutionem; durabilior verò patitur etiam tar-
diorem; cæterūm quoad finem, & usum æquè
ad vitam conducunt. Quærendum hic est, in
quo hominum *Vita* consistat, sive potius qui-
bus conditionibus necessariò alligetur? Præ-
ter assertam *Cibi*, & *Potus* necessitatē, illud
etiam certum est, tūm *Sanguinis existen-
tiā*, tūm ejus circulationem ad vitam con-
ser-

servandam requiri; liberales enim *Hemorrhagia* primò in *Lipothymiam*, mox in *syncopem*, tandem in *mortem* ipsam desinunt; & si Sanguinis motus circularis intercipiatur, statim concidit animal, & è medio tollitur; non quodlibet autem circulationis impedimentum, exitium affert irreparabile, sed morbum aliquando, hujus aut alterius generis, & aliquando paralysim vitâ superstite, in quo observanda est, & quantitas impedimenti, & locus, ad quem circulus sanguinis collimat; nam leviora impedimenta, quæ non motum auferrunt, sed debiliorem efficiunt, a Natura tolerantur, majora non item, at majora impedimenta nunquam carent notabili effectu; præcipue verò vitæ insidiatur impeditus motus in *cerebrum*, ita ut, si integrè tollatur, statim mors succedat, ut in laqueo suffocatis, qui non per impeditam respirationem, sed ob *interceptam sanguinis circulationem versus cerebrum*, compressis funiculo arteriis carotidibus, & *venis jugularibus* citò pereunt: in aliis verò membris, & visceribus non statim mors sequitur; sed in organis quidem motoribus paralysis; in reliquis hæc, vel illa lœsio, prout hujus, vel illius actionis ablatio fit. Vita igitur immediate a *cerebro* pendet, reliqua autem omnia, vel huic, vel hujus commodo ministrant. Si igitur prima radix vitæ in cerebro est, & sine sanguine cerebrum perlidente du-

rare non potest, manifesto indicio est, aliquid à sanguine cerebro subministrari, quod immediatum vitæ instrumentum sit; id autem nihil aliud est, quam *tenuissima, volatilestima, & penè aerea ejus portio*, quæ per glandulas cerebri *corticales* a communi penu secreta, fibrosum ejus meditullium subit, à quo in *nervos, membranas, musculos, ceterasque corporis particulas* dispergitur, ad sensum, & motum cuilibet conciliandum, in quorum idcirco immediatâ potentia, ne dicam, exercitio animalium vita consistit. Causa ergo vitæ proxima, est dictæ subtilissimæ portionis sanguinis, quam Medicorum schola, nomine *Spiritus Animalis* nuncupat, continua, nunquamve intermissa separatio, & in fibras cerebri, nervosque transfusio, copiosius quidem in vigilia, parciùs in somno. Hinc si tollatur, vel propter interceptam sanguinis circulationem in cerebro, vel propter hæmorrhagiam, similesque causas, mors præ foribus est, & ut inquit Horatius,

— — — *Æquo pulsat pede
Pauperum tabernas, Regumque turre.*

33. Cum itaque *Aerem, & Cibum* ita ad vitam necessarium, vulgato experimento didicimus, ut sinè ipsis diù vita sustentari non possit, cogimur fateri, eorum opicia ad animales spiritus dirigi, sive subministrando materiam, sive aliud efficiendo, quod eorum complemento, aut separationi, non modò oppor-

tu-

tunum, sed etiam necessarium sit. Ab *Aere* quidem solo spirituum animalium materia deduci nequit; propterea quod nulla superesset ad vitam conservandam cibi necessitas; quod enim attinet ad nutritionem, cuius usui sanguis ab omnibus ferè destinatur, certum est, continuâ inediâ defunctos, non adeò emaciatos esse, quantum ii, qui extrema tabe consumuntur, & tamen vivunt, signo manifestissimo, fame denatis, non ideo vitam subtrahi, quod in iis sufficiens deficiat nutritio; sed quia continuato dispendio consumptis animalibus spiritibus, ita evanidus fit sanguis, ut convenientem non possit suppetere eorundem separationi materiam; id quod confirmant præcedentes musculorum omnium languores, mox lipothymiae, deficientis in nervoso genere spiritûs perspicua symptomata. Accedit, quod si a solo aere animalis spiritus auspicaretur, constante in asitia respiratione, sufficiens adesset reparationis principium; ideoque posset quidem animal usque ad ultimam tabem marcescere; at non propterè robore, aut vitâ privari. Itaque non videatur dubium, *Cibum* (cujus nomine *solidum* non minùs, ac *fluidum alimentum* intelligo) eo nomine necessarium esse homini, ut præcipue animalibus spiritibus subministret materiam, non negando tamen pares ferre suppetias reliquis omnibus coctionibus, separationibus, & nutritioni ipsi.

34. Posset autem dubitari, an *Aer inspiratus* aliquid materiei conferat iisdem spiritibus? an potius id efficiat in sanguine, ut postquam oscula subierit arteriæ venosæ, in tali agitacione partes omnes sanguinis retineat, sine qua animales spiritus a reliquarum partium consortio sese extricare vix valeant, quæ actio apud Medicos & Anatomicos venit nomine *Vitalizationis*? Utrumque sanè probabile est; ego verò potius in hanc ultimam abirem sententiam, cum tanta mobilitate afficiantur aeris partes, per inspirationem sanguini immixtæ, ut vix concipere valeam, posse ipsas certo coniugio præexistentibus partibus sanguinis copulari: sanè, cum, massæ sanguineæ junctæ, rubellum, ipsi, & roseum colorem tribuant, vix ad extrema arteriarum delatae, & ad carnium laxiora interstitia, in quibus, ut supra probavimus, sanguinis motus languet, ab ejus consortio sese liberant, paucis in venosum sanguinem transeuntibus, unde hic evadit magis tertii, saturatique coloris, & minus secretionibus aptus, præterquam bilis, ad quam secretiōnem, propter aeris defectum, exigitur lienare fermentum.

35. Ab hoc particularum aeris indeficiente, ad libertatem conatu, oritur, quod qui extravasatum sanguinem contemplati sunt, nihil observarint in eo analogum aeri; ideoque summam præ se fert difficultatem inquisitio naturæ,

ræ, quâ potiuntur particulæ per inspirationem ab aere derivantes. Solers tamen Observatorum ingenium non reliquit intactum hujusmodi examen; etenim, cum per observationem pateat ab attracto aere alterari colorem sanguinis, tūm eum, qui arteriosus dicitur, tūm eum, qui è venis extrahitur, cujus superior pars aeri exposita, quantumvis antecedenter fuscata, brevi tamen arteriosi sanguinis colorem refert, jam constat, arteriosi laticis a venoso in colore differentiam aeri deberi; cumque per notissimum *Svamerdamii* experimentum liqueat, non totam aeris corporaturam respirationi conducere, sed solūm ejus partem determinatam, quâ semel ab aere exhaustâ, reliquum inutile est; quærendum remanet, cujus naturæ sit hujusmodi pars, quam ab aere eibunt pulmones, & intromittunt in sanguinem. Præter omnis ferè generis substantias, quas in aere invenerunt seduli Naturæ perscrutatores, illud apud ipsos in comperto est, *salina corpora reliquis præcellere*; quare diversorum salium, & spirituum salinorum extravasato sanguini superaffusio facta est, & observata coloris mutatio; in quibus quidem experimentis plurima deprehensa sunt phœnomena, ut apud Celeberrimos Viros *Malpighium*, & *Boyleum* videre est. In nostram autem rem illud est, quòd nitrum sanguini affusum, eum illi tribuebat colorem, quem aer impertit; ideoque, aliis accendentibus etiam motivis proba-

biliter judicatum est, nitrosam esse, sed sum-
mè volatilem earum particularum naturam,
quas aer sanguini subministrat. Itaque primò
in *Sanguine* naturaliter constituto, hujusmodi
nitrosæ, & *volatile*s particulae insunt.

36. Descendamus jam ad *Alimenta*, & eo-
rum mutationes, quæ contingunt tūm in via,
quā ad sanguinem feruntur, tūm in ipso *san-
guine*. Duplex autem est *Alimentum*, solidum
scilicet, & fluidum; illud *Cibum* dicimus, hoc
Potum. *Cibus* non omnibus animalibus idem est,
neque etiam hominibus, cuius diversitatem non
est hic locus minutim indagandi. Hoc certum
est, non omnia alimenta homini convenire,
vel quia talia sint, ut subterfugiant coctiones,
ob idque in massam sanguineam penetrare non
possint; vel si a coctione subigantur, particu-
lis, vel inutilibus constent, vel noxiis. Alia
insuper cibaria magis humanæ naturæ conve-
niunt, alia minùs; alia magis uni subiecto,
quam alteri. Et quoniam quæcunque ciborum
nomine veniunt (loquor de cibis hominum) iis-
dem plūs, vel minùs debent constare princi-
piis, quæ humanis actionibus conferre possint;
ideo si aliter sit, cibi appellandi non sunt. Quæ-
nam autem sint alimenta hominibus proportiona-
nata, usus docuit, & non mediocriter *saporis*,
& *odoris* gratia; hi enim duo sensus, ut feliga-
mus utilia, & noxia abjiciamus, a Natura, ut
& cæteris animalibus, ita & nobis inditi sunt.

37. Quoniam verò, quæ nobis a Natura offeruntur cibaria, utilia esse nequeunt, nisi in ea, ex quibus componuntur, principia resolvantur; ideo Natura pluribus, & fermentis, & organis animalium ditavit corpora, quibus prædicta analysis perficeretur, quæ in ore suum principium nanciscitur. Cibaria enim ferè omnia, primò dentibus in buceas incisa, mox comminuta, salivâ à circumpositis glandulis salivaribus, maxillaribus, & parotidibus derivata, ad minima imbuuntur; hujusmodi enim humor cibariorum dissolutionem in ventriculo quàm maximè promovet; mox per œsophagum descendunt in stomachum, principale chylificationis organum, ubi per aliquot horas commorata, in pultem quandam transeunt, cremenori hordei quàm simillimam, quæ *Chylus* dicatur. Transmutatio hæc duorum succorum ope, præter jam exaratam, per dentium triturationem, & immixtionem salivæ, præparationem, absolvitur. Horum succorum alter eructatur a *glandulis quibusdam lenticularibus*, quæ circa ventriculi superius orificium præcipue locantur; alter verò a *siphunculis perpendicularibus*, quibus interior stomachi villosa tunica coagmentatur, quæ idcirco non modò glandulosa, ut aliqui putaverunt, sed integra glandula a *Malpighio* nuncupatur. Diversam esse utriusque liquoris naturam, ostendunt, tūm diversitas in organis separatoriis, quorum stru-

cturam

eturam præter rationem non multiplicasset ingeniosissima, & numquam in suis operibus inanis Natura; tūm *digerendorum exigentia*; constat enim, vel iis, qui in Chymicis resolutionibus vel leviter initiati sunt, idem menstruum omnibus substantiis dissolvendis ineptum esse, sed terrea quidem, macra, nullâque pinguedine vincita, acidum fermentum requirere; oleosa verò, & sulphurea, non acidis, sed falsis resolvi. Cum igitur solida alimenta omnia in prædicta duplii differentia sint; utitur enim Natura pro *Chyli materia*, æque *macris*, ac *oleosis*, idcirco ad ea cuncta dissolvenda duplex instituit fermentum, quorum aliud *salsam*, aliud *acidam naturam* redoleat, hoc a *siphunculis*, illud a *glandulis lenticularibus* fabrefactum. Licet autem hæc menstrua præcipua sint chylificationis instrumenta, non renunt tamen & opem dentium cibaria comminuentium, & salivæ, partium texturam præcedaneâ digestione reserantis, & caloris adjumentum, insinuationem dissolventium menstruorum per totam dissolubilis substaniam, promoventis, & tandem, ut alia præteream, dispositionem cibariorum fermentativo interno principio propriam dissolutionem affectantium. Et quoniam sinè humido naturali, aquâ nempe, vix se possunt explicare salium, quibus menstrua turgent, ramenta, potus ideo necessarius est, qui ingestos in stomachum cibos, diluat, fermenta ubique

que dispergat, & hoc nomine chylificationis opus absolvat, quod, quia nil aliud est quam alimentorum ad minima trituratio, ideo *Chylus* non incongrue *magisterium* quoddam a Chymicis appellatur.

38. Hoc modo confectus *Chylus*, triplicem habet substantiam; primam efficiunt *partes utilles minores* scilicet, & *puriores*, quas Natura destinat, ut in sanguinis substantiam converti debeant, & haec proprie *Chymus* nuncupatur: Altera est ex *partibus inutilibus*, quae vel subterfugere stomachi digestionem, vel ipsius incapaces sunt: Tertia tandem nil aliud est, quam *fermentorum sales*, partim in *prima*, partim in *secunda substantia incuneati*, quae omnes communi humido solutæ, massam constituunt chylosam. Haec ubi suum acquisiverit comple-
mentum, a stomacho transit in intestina, ubi in duodeno duo invenit fermenta, quae sta-
tim particularem utilium ab inutilibus separa-
tionem, & præcipitationem moliuntur; pri-
mum est *Bilis*, quae per choledochum ductum in intestina effusa pertransiente chylo immisce-
tur, illiusque crassiores, & indigestas partes sibi uniendo, locum relinquit partium chymo-
farum unioni. Alterum est *pancreaticus succus*, qui, licet subacidus a *Graafio* & ejus asseclis statuatur, saepius tamen insipidus, & alkalinae naturæ reperitur, quo in statu naturalem cre-
do, in aliis præternaturalem. Hic igitur alka-
lina

lina sua facultate reliquias acidi fermenti in eo latitantis ebibit, omnemque substantiam chymosam dulcorat, non minus ac Chymici magisteria, acidis menstruis fabrefacta, repetitis ablutionibus, & exsiccationibus, edulcorare nituntur. Prætereo fæcalis materiæ novam in reliquis intestinis dissolutionem, novam utilis, ab inutili segregationem, novamque dulcrationem, pro quibus omnibus fermenta non defunt idonea a glandulis, & siphunculis intestinalium deducta, quorum diversa structura, & positio, satis usus diversitatem ostendit.

39. Absorbetur chymosus latex, qui & *Chylus* communiter latiori vocabulo dicitur, ab osculis lactearum venarum, quæ cum cæteroquin lymphæ vehendæ destinatæ sint, hanc subeunti Chylo conjungunt; cumque mesenterii glandulas ipsumque Pancreas Aselii, vel penetrant, vel superequitent, novam ab his lymphæ copiam hauriunt, & chylo immiscent, donec in receptaculum, vel lumbares glandulas illum evomentes, copiosiori lymphæ, illuc ab inferioribus, & vicinis partibus remeanti committunt, ibique facto conjugio, chylus, & lymphæ commixti, thoracicum ascendunt ductum, & ad *annulum Bilsii*, antequam subclaviam ingrediantur, ultimas lymphæ suppeditias recipiunt, ita ut chylus sanguinem non attingat, antequam universi corporis lymphæ copulatus sit. Quam maximum in negotio Na-

tu-

turæ artificium sit, nemo non videt; sanè quæ circumfertur ablutio, & dilutio chyli rem non explicat, quippe quæ nullo modo necessaria; nam si subtiliatione indigeret chylus (non indiget autem, quia potulentis sat dilutus) id maximè eò tunc esset, cum exiliora vasā permeanda sunt, & angustissima lactearum orificia subeunda, quò loci, & tempore, nulla, vel ferè nulla est lymphæ commixtio, quæ tunc pleno advenit fluento, cum amplior thoracici ductus cavitas permeanda est, & in hujus itineris extremo limite, quo instat utriusque hujus fluminis in sanguineum Oceanum devolutio. Quapropter suspicari licet, quòd sicuti ad ciborum in stomacho dissolutionem prærequiritur salivæ digestio, ita ad chyli in sanguinem transmutationem exigatur consimilis præparatio, quæ compactas nimis chyli particulas ad majorem subactionem disponat, & præparet, quod a lympha obtineri posse admodùm probabile est, cum summè volatilibus particulis, multo licet phlegmate enervatis, componatur.

40. Hic observare licet artificium Naturæ, Sanguinis ex materia cibariorum, & potulenterum reparationem affectantis, eam scilicet per gradus procedere. Primò enim, *in ore contenta est crassiori ciborum trituratione, & aliquali per salivam ad dissolutionem præparatione;* Secundò, *in ventriculo cibaria quæque in tenuissimum veluti pollinem mollit, illumque humido miscet,*

ut hujus ope exilissima vasa ingredi, & excurrere possit; Tertiò, crassioribus, inutilibus, & noxiis partibus liberat; Quartò, ubi vasa corporis subierit, statim per novam digestionem chylum ad alias mutationes disponit; & Quintò tandem factum sanguineæ circulationis participem, illum subjicit omnibus impressionibus, quibus per triplicem assertum sanguinis motum, humoralis massa afficitur, quorum beneficio ex heterogeneo homogeneus fit, & sanguinis formam, & ut ita dicam, signaturam acquirit.

41. *Chylus* igitur, & *Lympha* sanguinis materia sunt, & lympha quidem parum nostro intento conducere potest, quippe quæ antecedenter in sanguine præextiterit; sive integrè in arteriarum extremitatibus, a tota massa per glandulas miliares, & conglobatas separata; sive pariter integrè a nervorum finibus, ut censent Angli, deducta; sive, quod probabilius, partim a sanguine, partim a nervis, illo sero sum laticem, his volatilem spiritum tribuentibus, cuius, ut pretiosissimæ ad vitam partis, post initas suas actiones, Natura dissipationem non patitur, sed eam purissimo sero commixtam, a quo volatilitas paulisper infringitur, de novo ad utiles actiones revehit in sanguinem. Quodcumque autem horum contingat, certum est, lymphæ partes omnes in sanguine præextitisse, & quæ alias in lympham debent facescere, etiam num existere, quod id pari

ratione dicendum est de lienari fermento, de humore a glandulis vel capsulis atrabilaribus secreto, & fortasse de thymi liquore, cuius glandulæ non inventum adhuc excretorium, suspicionem inducit, separatum ichorem massæ sanguinis præterfluenti affundi; quod dictum velim de aliis, si quæ sunt glandulis hujus generis. Observat *Loverus* quandoque inutiles particulas, & a Natura priùs repudiatas, myalma-ta item heterogenea ab extremis arteriarum fibribus, aut a substantia carnium, sive potiùs ab earum porositatibus, & interstitiis, in vasa sanguinea reabsorberi; sed præterquam quòd ejus generis sunt, ac prædicta, ad sanguinis natu-ram non spectant, sed potiùs naturalem ejus statum prævertunt.

42. Contrahendo igitur ad chylum nostras animadversiones, notandum est, illum *fluidum esse*, suamque fluiditatem præcipue a *potulentiis* mutuari, quæ procul dubio, aut *aqua* sunt, aut *basim* habent *aqueam*; quare necessariò cum chylo non modica aquæ quantitas in san-guinem convehetur, quæ quoniam simplicissimum, & naturale quiddam est, nullam pa-ti potest in sua substantia mutationem; id-eoque sicut in chylo est aqua, ita & ean-dem in sanguine esse, necessarium est. Præ-terea cum fluida quæque aeri exposita, parti-culis aereis liberaliter imprægnentur, a quibus nunquam liberantur, nisi cum super incumber-

tis aeris pressio, aut tollitur, aut debilitatur, fieri nequit, quin cum chylo elasticæ hujusmodi aeris particulæ, aut ex necessitate Naturæ, aut provido fine, in sanguinem introducantur; id autem ita se habere evidens est, nam Sanguis antliæ pneumaticæ immissus, exantlato aere, copiosas de se promit, non minus, ac aqua, aeris particulas. Cæterum licet conditioni chyli respondeat qualitas sanguinis, ex bono etenim chylo, bonus sanguis, ex malo malus; non est tamen credendum, integrantes chylum moleculas, easdem invariatas debere etiam sanguinem integrare, quandoquidem in transmutatione chyli in sanguinem, oportet, ut ejus partes novam acquirant dimensionem, novum situm, novam adaptationem, & sexcenta alia, in quibus mutatis chyli in sanguinem transitus consitit. Quod si loquamur de principiis essentialibus, utique verum est, talia esse, & fortasse eadem proportione in chylo, ac in sanguine; at, si hoc est, facilius reddetur eorum examen in *sanguinea massa*, quam in chylosa, cum illius copia ad libitum possit suppetere, hujus non item, quâ etiam de causa factum est, ut circa majores chyli moleculas, tam parcæ habeantur observationes, & apud unum *Leenwenhoeck* pauculæ extent, ex quibus tamen non ausim aliquid determinare. Auctores quidem loco chyli lac substituunt, eandem censentes esse, sicuti idem est color, naturam, quod licet

cèt admodùm probabile sit, adhuc tamen, hucusque quantum sat est, non adeò innotuit, ut in tanti momenti negotio, pro identitate naturæ, simplicem accipiamus analogiam. Illud tamen de chylo possumus confidenter afferere, scilicet quod ejus naturam sequatur natura sanguinis, saltem quoad miscibilium proportionem; videmus enim ex mutatione alimenti contingere *mutationem actionum, temperamentorum, imo motum*, signum infallibile mutationis in sanguine; quin imo tota praxis Medica, quantum ad *Pharmaceuticam, & Dieteticam* spectat, huic uni principio nititur, quod per *chylum* tales introducantur in sanguinem substantiæ, quæ ejus præternaturales affectiones unâ, vel alterâ ratione valeant corrigere; idque non præter rationem, cum experientia constet a qualitate pascui armenta, vel pinguiscere, vel emaciari; robusta, vel languida evadere, vivaciora, vel pigriora fieri; & tandem eorum carnes, lac, ipsumque sanguinem, pabulorum qualitates quodammodo redolere.

43. Transeamus itaque ad *substantiam Sanguinis* contemplandam. Cum hic recens a vena extractus est, utique per sensum visus, & tactus, manifesti fiunt evolantes vapores calidi sub specie fumi, in quo Gas sanguinis contineri autumant *Helmontiani*. Hi sinè dubio sunt *particulae* magis *subtilitatem, & volatiles aqueo humoris permixtæ, quæ a sanguinea massa* elevantur,

ejus omnino naturæ , ac illæ , quæ calorem sanguini , ac partibus perfectiorum animalium conciliant , quæque per transpirationem insensibilem , aliis commixtæ , perpetuò a corporibus secedunt . Horum vaporum substantia non unica est ; probabiliter enim , quoniam sanguis arteriosus magis calidus est , quam venosus , magis etiam rubicundus , & flammeus , & præterea magis tenuis ; horum diversorum effectuum ratio refunditur primò in spiritum aereum , qui in venis , quam arteriis copiosior redundat , in arteriarum enim extremis ejus pars maxima dissipatur ; cumque etiam in venis & calor , & rubor , & tenuitas aliqualiter sint superstites , non sine ratione etiam in sanguine venoso , ejusdem spiritus aliqualis existentia deducitur , qui dum evaporat ab extravasato sanguine , illum relinquit effœtum , & in concretiones primum , præcipue cum simul deficiat circularis motus . Secundò , quoniam in sanguinis motu , & agitatione , ejus moleculas plures resolvi necesse est ; re vera enim in immutatione chyli præsertim id contingere oportet , videtur rationi consonum , non modò calidas particulas a sanguine elevari ; verùm etiam ex materia saltem chylosa partem magnam volatilium particularum generari , præcipue si alimenta , ex quibus ea confecta est , plurimo spiritu abundarint , quæ quoniam tenuissimæ sunt , & levissimæ , ex sale , & sulphure subtiliatis ,

&

& in raram texturam concinnatis, coalescunt;
& ob id etiam hujus generis moleculæ sanguineum vaporem constituunt, quibus si animantium spirituum materiam (si quidem a prædictis diversa sit) velis adjungere, non renuam. Tertiò, tandem particulas aqueas his omnibus combinari, nemo inficiabitur, qui ejus vaporis manifestissimam humiditatem deprehendet.

44. Reliqua verò *cruoris massa*, jam deficiente calore in duplicem dispescitur partem; altera enim in massam concrescit suis partibus cohærentem, quæ *Crassamentum rubrum* dicitur, altera in fluidum faceſſit aqueum, quod *Serum* appellatur. *Crassamentum* gravius est *sero*; illud enim fundum petit, hoc supernat. In hujusmodi partium sanguinis separatione observandum occurrit, quod non vi solius gravitatis crassamentum segregatur a sero, ut contingit cum aqua turbida quiescens terreum deponit sedimentum; crassamenti enim partes primò sibi invicem uniuntur, ita ut aliquando totus sanguis una videatur concreta massa, sero non apparente, quod tamen idcircò non desideratur. Si enim coagulatus sic sanguis concutiatur, vel scindatur in partes, serum confestim manifestatur, eò quod apertis finibus intra crassamentum conclusis, via jam pateat ad exitum, tuncque vi gravitatis crassamenti ad superiora detruditur. Hinc fit, ut non totum serum, sed, ha-

bitâ ad veram quantitatem ratione, ejus tantummodo pars aliqua frequenter a crassamento exprimatur, aliquando autem major, aliquando nulla, prout scilicet in crassamenti loculis ejus major, vel minor copia coercita remanet, id quod a fortiori, vel debiliori vi, quam habent ad se complexandas crassamenti partes, derivat; quippe fortis, totum serum occultat, fortior illud exprimit copiosius, unde durissimum, quod in iis casibus observatur crassamentum; debilis vero vix segregat illud a sero, diversa gravitate specifica propter molis parvitatem, suum effectum non prodente; quare tunc cruor atramento similis, homogenus ferè, non concretus, sed lentescens, & lutosus deprehenditur; quæ omnia tamen a reali seri, vel superabundantia, vel defectu, pariter possunt oriri.

45. Cæterum licet in statu naturali medicis seri quantitas in sanguine extracto, manifesta fiat, ejus tamen multum in crassamento delitescit, ex quo fit, ut si hoc exsicetur, non modò admodum imminuatur, sed subducto calculo, serosæ, aut saltem fluidæ portionis pars circiter tertia remaneat. Observatum est enim a Nobilissimo Boyle ex 3 x. gr. 73. sanguinis recenter a vena extracti, id est a gr. 5833. superfuisse partis crassæ exsiccatae 3 ij. 3 ij. sive gr. 1296. reliquo partim per modum phlegmatis ad 3 viij. 3 ij. gr. 47. scilicet gr. 4223. per

per alembicum ascende[n]te; partim verò deperdit[us] ad gr. 214., quam ipsam portionem fluidam fuisse opus est. Quare tota substantia fluida fuit gr. 4537., sicca verò 1296., quo posito constat per calculum, partem serosam ad consistentem se habuisse ut 3 ad 1, & si supponamus, aliquid consistentis latuisse in parte vel deperdita, vel phlegmatica, quod præter rationem non est, citra errorem sensibilem, fluidi ad consistens proportio assumi poterit ut 3 ad 1, quod aliis etiam experimentis circa hoc factis satis convenire deprehenditur.

46. Pars concreta, si microscopio lustretur, dupli videtur parte componi, alia subalbescente, aut subflavescente, quæ ex fibris invicem contextis emergit, ideoque Fibra sanguinis indigitatur; alia rubente, quæ tota in minimos globulos effingitur. Hinc si calente aquâ, pars concreta sæpiùs abluatur, rubor ab ea cum prædictis globulis transit in abluentem aquam, id quod etiam dilucidiùs, & nulla opera frequenter apparet in phlebotomia celebrata in talo, vel manu; eò tunc enim si aqua sanguinem excipiens tepidiuscula sit, ut possit in majores grumos concrescere sanguinis fibra, non autem minoribus ramentis per universam aquam dispergi, ut ferè semper contingit, cum calidior est, rubentes globuli a reliqua parte concresibili se junguntur, & illius particulæ sese invicem amplectentes massam efficiunt subalbi-

dam; aqua verò tota rubicundo colore infecta est, quod, non modò simplicioribus fœminis, sed & vulgo Medicorum tæpiùs imponit, putantum catarrhalem materiam, vel coagulationis principium aliquod in massa sanguinis latitare, quod tamen aliquando verum est; prædictum autem phœnomenon tantò faciliùs e-
venit, quanto magis crafis sanguinis ad con-
cretionem tendit, ut in morbis sæpenumerò
contingit.

47. Rubentes globuli ex aliis globulis coag-
mentantur, ut observat *Leeuwenhoeck*; hique
ex pellucidis quibusdam corporibus, quæ a pro-
pria figura plano-ovalium particularum nomen
fortita sunt. Hujusmodi particulæ, solæ quidem,
nullum referunt colorem, sed omnino transpa-
rentes sunt, si verò plures invicem superponan-
tur, rubellam explicant tinturam; adeò ut rubo-
ris saturitas a pluribus invicem agglomeratis pla-
no-ovalibus corpusculis emergat; undè ruber in
globulis color, qui ex sex aliis saltem compo-
nuntur. Quapropter si modum quæramus, quo
aer colorem roseum sanguini conciliat, ex dictis
facilè occurret, nimirùm quia nitrosæ aeris par-
tes, arteriosum sanguinem ocyssimè agitantes,
impediunt, quò minus tantus numerus particu-
larum plano-ovalium uniatur, quantus ad satu-
ratiorem colorem exigitur, quam diversitatem
arteriosi sanguinis a venoso, perperam deducit
Leeuwenhoeck a seri cum sanguine immixti co-
pia;

pia; nam sanguis in vena cava ascendentē plūrīmo tumet sero, a chylo, & lymphā suggeſto, & tamen ibi æquè nigricat, ac in reliquis venis.

48. Licet plerūmque, & *fībra sanguinis*, & *globuli rubri*, in sanguinis extravasati concretionē, invicem commixti remaneant, adeò ut ferè æqualiter in toto grumo, præterquām in superficie, color expandatur, adhuc tamen non ab æquali utriusque gravitate tale phœnomenon pendet; sed quidem ab eo principio, a quo fieri in crassamento pars magna irretitur, scilicet quia fibræ celeriter sese apprehendunt; & antequām globulis rubris in suum locum ſcedere, vi propriæ gravitatis, concedatur, iij in concrecentium fibrarum interſitiis, veluti carcere, detinentur; quod ubi fit, cæteris paribus, mollius evadit crassamentum, globulis rubris intermixtis fibrarum vincula laxantibus. Cæterū a prædicta cauſa tolli omninō non potest, quin major globulorum, quām fibræ, gravitas, manifesto non appareat indicio; ſiquidem ſæpe numero evenit, ut eorum nisu ad inferiora tendente, major copia in ima grumi parte congregatur, quām in ſumma, undē oritur, quod sanguis in fundo, non modò obscurioris ſit coloris, ſed etiam laxioris compagis, id quod Antiquioribus imposuit putantibus, melancho- liæ præsentiam in massa humorali, per hunc magis fuscum in fundo, quām in superficie, colorē, poſſe ad oculum demonstrari; falsi tamen

Dſ ſunt,

sunt: observante enim post *Malpighium Boyleo*, inversus grumus, ita ut profundior ejus pars aeri exponatur, tribus horæ quadrantibus, non solum tetro spoliatur colore, sed roseo imbuitur, quod provenit, non tantum a superius exposita aeris agitatione; verum etiam quia congesti rubri globuli, superiorem locum ex parte deserunt ad inferiora tendentes.

49. Nonnunquam etiam evenit, ut pars grumi altior nullâ rubidine inficiatur, sed in gelatinosam flavescentem substantiam facescat; profundior verò tetrico colore obscuretur. Id evenit, cum globuli rubri superiorem partem ex integro ferè relinquentes, descendunt in inferiorem, sive hoc sit, quia fortius constricta fibra eos successuris alioquin porositatibus excludat, sive quod globuli per majorem molem, & strictiorem compagem graviores facti, ante se liberent a fibrillarum nexibus per descensum, quam hi stringantur. Memini, me aliquando, dum ægroti acutâ febre laborantis sanguinem, statim a phlebotomia, attentus intuerer, observasse rubros globulos ad inferiora confertim descendentes, eodemque tempore concrecentem in superioribus gelatinosam crustam, quæ omne serum absorbuit, nullo nec tunc, nec post apparente; unde conjiciens, crassioribus, & ponderosioribus moleculis abundare sanguinem, quæ facile in viscerum angustioribus meatibus, vel jam irretitæ erant, vel poter-

poterant irretiri (ob idque subtiliationi, & deficienti mixtioni insistendum esse, quæ nullo remedio facilius obtinentur, quam conciliata majori velocitate sanguini) jussi statim denuo venam aperiri, paremque ac prius sanguinis mensuram hauriri, quæ eadem, sed minus a natura recedentia phœnomena exhibuit. Intento respondit eventus, paulò post enim febris remittere coepit, & intra viginti quatuor horas, copioso erumpente sudore desiit sine recidiva. Redeuntes ad propositum observamus, quod, quo crassior, albidor, & densior est crassamenti gelatinosa crusta, eo flaccidior, & nigrior est ejus reliqua pars, ut facile est observatu in febribus coagulativis, & inflammatoriis; atque hinc tanto evidenter confirmatur opinio nostra, assertam scilicet crustam sanguinis a defectu globulorum rubrorum; flaccescentiam verò, & nigredinem in reliquo, ab eorumdem majori congestione provenire.

50. Globorum rubrorum, in fluido etiam sanguine, existentiam evincit quidem, ejusdem per microscopium lustratio; sed de fibræ præsentia non convenient Anatomici Ccleberrimi *Malpighius*, & *Bohnius*. Afferit ille, negat hic; eo quod supradicto modo diligentissime examinatus sanguis fluidus, & calens nullas in sua substantia exhibeat fibrillas, aut filamenta, id eoque, si quæ sunt in coagulato sanguine, ejus concretioni, non naturæ accepta referri. Ve-

run-

runtamen non satis ad rejiciendam fibram solius sensus testimonium adhibetur; non enim quæ sunt omnia, oculo, cæterisque sensibus semper, & in quocunque statu, obvia fiunt. Ut igitur nostram de hoc opinionem proferamus (non enim tam doctorum Virorum amica dissidia, aut dirimere, aut iisdem immisceri, animus est) hoc pro certo, & *autopsiâ* comprobato assumimus, crassamentum sanguinis ex fibris constare reticulariter invicem implicitis, inter quas plurimi remanent loculi, porositates, areæ, aut interstitia, quibus tūm serum sanguinis, tūm globuli rubri reconduntur. Observanti concretum sanguinem id totum liquebit, sed qui ejus concretionis progressum sedulò rimabitur per microscopium, non minùs certus evadet, licet, fluido existente sanguine nihil filamentosi apparere (apparere autem testatur *Malpighius* ad *Bohnium* respondens in Opere posthumo) cum tamen is ad concretionem disponitur, secedentibus particulis calidis, fibrulas, sive stamina quædam sese prodere, primò minora, quæ invicem agglomerata majora efficiunt, mox sibi ipsis adhærentia, & plura invicem implicita, reticulare corpus prædictum ædificant. Porrò inquirendum est, unde sit, quod primæ crassamenti subalbidi concretiones, non in sphærarum rotunditatem, sed in staminum longitudinem disponuntur? Id plerumque solet in libero fluido contingere ex primorum modulorum nati-

va figuraione; sicuti enim in salium figuris ma-
iores crystalli sequuntur minorum schemata, ut
in *Animadversionibus Philosophicis de Salium fi-
guris* fusè demonstravimus, ita ut invisibilibus
oculo ramentis, eadem sit, ac in crassiusculis,
& majoribus crystallis figuræ positio; ita in
fibræ sanguineæ prima apparitione oportet, ut
eadem terminationis species primò se prodat,
quæ minores, & invisibles primò circuinscri-
bat, quæque & majores imposterūm circum-
scribit; etenim cum in fluido libero, æquali
tempore, æqualis fieri debeat primis modulis
circum circà materiæ additio, opus est, ut non
immutetur, sed eadem remaneat figura, ideo-
que sicuti posterior configuratio fibrillarum in
morem est, neque per accretionem alteratur,
ita & anterior, & illa, quæ terminat molecu-
las, crassamentum prædictum primò componen-
tes. Neque timenda est ab hisce fibris capil-
larium vasorum obstructio; hæc enim, quan-
tumvis minima, adhuc ampliora sunt, quam
ut ab insensibilibus hisce fibrillis obstrui patian-
tur. Non igitur deneganda est sanguini etiam
fluenti fibra etsi minima, & invisibilis. Has
tamen fibrosas moleculas, compositum quid
esse nemo negaverit; ex iis enim solis procul du-
bio crassamentum subalbidum integratur; hoc
autem plures in suo sinu substantias continere,
suo loco apparebit. *Quale* porrò *est integrans, tale*
integratum esse necesse est, nam ex *simplicibus*
qui-

51. Verùm paulisper crassamentum sanguinis relinquamus, donec nova suppetat occasio, ejus ulteriorem anatomen instituendi per Chymicum examen, & ad alteram sanguinis partem, serofam videlicet, nostrum sermonem convertamus. *Serum* igitur a crassamento secretum, non unam possidet affectionem; aliquando enim *limpidum* est, ferè in aquæ modum, aliquando verò *turbidum*, non rarò *laetescens*, aut *rubens*, aut *flavescens*, aut *virescens*. Cum *limpidum*, naturale est; *turbidum* verò, & aliquo infectum colore, turbiditatem, & colores sæpiùs ex accidenti, frequenter ex morbo desumit; *turbidum* enim fit, si opacæ particulæ illi conjungantur, vel a crassi sanguinis, vel a crassamento mutuatæ; *laetescit*, si chylo nondum subjugato infarciatur; rubet si globulos rubros, in segregatione a crassamento secum traxerit; *flavescit* verò, aut *virescit*, si bilis moleculæ, quæ aliàs in hepate separari debuerant, vel propter redundantiam, vel propter impedimentum in sanguine luxurient.

52. Si fero sanguinis, qualecunque demum fuerit, madefiat vitrum, & exsiccati permittatur, relinquet in ejus superficie diversorum salium ramenta, alia quidem *simplicia*, alia verò *composita*, id quod ei præcipue inspicienti patebit, qui primigeniorum omnium salium fi-

gu-

guras, & possibles ex iis noverit combinatio-
nes. Mihi quidem, & vitriolica, & alumino-
sa, & tartarea, & nitrosa, & falso-muriatica
ramenta, ostendente primùm *Illustriſſimo Mal-*
pighio, non ſemel contigit obſervare, ſolo mi-
croſcopio, & citra ullam Chymicam præpara-
tionem; & præterea innumerā alias figurās,
quæ ad nullam ex primigeniis, ſed potiū ad
compoſitas erant referendāe. Præterea idem
ſerum ſanguinis igni expositum, poſt integrā
ferè evaporationem, relinquit gelatinosam ſub-
ſtantiam, quæ continuato calore in oſſeas ve-
luti, pellucidas, cornu ſimiles lamellas densa-
tur. Hæc ſanguinei ſeri pars a Medicis dicitur
Serum concreſcibile; nullo autem modo diverſa-
res eſt a ſuper exposita, crassamentum album-
integrante, a qua, neque modo ſubſtantiae,
neque colore, neque ullo alio accidente diſtin-
guitur, quod præcipue verum deprehenditur,
quoties ſerum plurimam de ſe promit partem
concreſcibilem; regulariter quippe, cum a
crassamento ſerum liberatur, ſecum fert par-
tim abraſas, partim nondum invicem implica-
tas ſanguinis fibras, quæ ſero innatantes ejus
partem conſtituunt, at eo evaporante, utpote
fixiores, ſubſidunt, & invicem adhærentes, pri-
mo in gelatinosam, deinde in corneam ſubſtan-
tiam faceſcunt, quæ modò major, modò mi-
nor eſt pro circumſtantiarum diverſitate. Non
eſt ergo, quod ſerum ſanguinis, cum plurimis,

tan-

64 *De Sanguinis Natura,*
tanquam partem a fibra distinctam in sanguine
admittamus.

53. Denique si abeuntis in auras seri fumus,
praedictæ evaporationis tempore, alembico ex-
cipiatur, liquor colligitur odore, & sapore uri-
nosam omnino sapiens naturam, imo qui ipsissi-
fima urina est, ut ex diversis experimentis a
Famigeratissimo Boyle institutis, tantum non
evidenter, probari potest; siquidem tam per
serum sanguinis, quam per urinam e cupri la-
minis extrahitur tinctura quedam cærulea, in
lachrymatione, ophthalmia, & consimilibus
oculorum affectionibus non ignobile remedium.
Secundò in congelatione utriusque liquoris gla-
ciales observantur laminulæ, pectinatae figu-
ræ. Tertiò pariter, non minus urinâ, ac se-
ro sanguinis, invisibiles characteres scribi pos-
sunt, qui, si postquam exsiccati sunt, calori
candelaæ apponantur, emergunt, ferè tales, ac
si atramento fuissent exarati. His omnibus
cum accedat sensibilium qualitatum, *odoris*, &
saporis convenientia, meritò asserendum vide-
tur, *Urinam* nil aliud esse, quam *serum sanguini-*
nis, *rubris globulis*, & *fibrosa parte*, si non *omni*,
plurimâ saltē liberatum; *plurimâ*, inquam, non
omni: *Urinarum* enim hypostases probabiliter a
fibra sanguinea derivantur; & arenulæ rubræ,
quæ a multis cum urina naturaliter excernun-
tur, & frequenter in febrium declinationibus
observantur, a globulis rubris sanguinis auspi-
candæ sunt.

54. Quo-

54. Quocirca, cum per Ingeniosissimi, & Amicissimi *Bellini* experimenta, notum sit, & aquam, & terram insipidam, sive tartarum, & plura salium genera, cum fixa, tum volatilia, & insuper nonnihil sulphuris in urina contineri; sequitur, ex his omnibus substantiis, praeter fibram praedictam, serum sanguinis coagmentari; id ipsum ostendit apparatus Chymico prælaudatus *Boyleus*, quippe per destillationem, sublimationem, & elixiviacionem extrahuntur a sero sanguinis granula salis, & fixi, & volatilis, quin & actuosus volatilis spiritus; qui tamen, cum nil aliud sit, quam magna salis volatilis, non ejusdem naturæ, copia paucò phlegmate fortiter unita, & mixta, substantias in sero obvias non multiplicat, sed larvat. Prodeunt praeterea olei fœtidissimi guttulæ non paucæ, quæ sulphuri urinarum correspondent, & tandem caput mortuum, quamvis paucissimum, ipso etiam in sero repeatitur.

55. Reserata sic seri sanguinei naturâ ad *crasfamentum* revertamur oportet, in cuius compage eadem ferè, ac in sero principia per Chymicas elaborationes inveniuntur; ex eo enim prolicitur & phlegma insipidum satis copiosum, & utriusque status sales, ex quibus volatiles, ut supradictum est, cum modico aquæ spiritum constituunt, fixi verò terræ damnatae immixti per diuturnam calcinationem, & elixiviatio-

nem, tandem in scenam prodeunt. Duplex præterea *oleum* elicetur; aliud impensè *rubrum*, & quasi nigrorem præ se ferens, aliud ad *pallorem succini* accedens, unum alteri *supernatans*, & invicem *mixta*, pristinas sedes affectantia. Horum primum, ut ego saltem hariolor, globulis rubris analogum est; posterius vero fibræ sanguineæ. Cum tamen *oleum*, quale per analysim habetur, non semper in mixtis præ-contineatur, sed plerumque vi ignis invicem unitæ sulphuris crassiores partes, salibus (quorum implicatione coercentur, ne in auras abeant) semper associatæ, & paucissimo phlegmate dilutæ, olea componant; ab emersione olei a grumo sanguinis nihil aliud concluditur, quam sulphurearum particularum in eo præsentia; quæ omnia cum etiam in sero contineantur, patet iisdem principiis ditari, & unam, & alteram sanguinis substantiam; ideoque plurimam inter eas adesse similitudinem. Hoc unum tamen inter utramque intercedit discrimin quo ad Chymica principia, quod serum copiosiorem longè habeat aquam, plures sales, eosque solutos, aut volatiles, parum fixi sulphuris, volatilis vero non modicum, minimum terræ; rubrum vero crassamentum, sicuti copiosius oleum, ita plurimum sulphuris fixioris, phlegma parcus, terræ plus, parum tamen, sal vero utrobique æqualiter ferè abundet, illudque, in crassamento præcipue, fixum; licet enim,

enim, & sal volatile, & spiritus ab eo hauriatur, non idcirco tamen ejus præexistentia satis evincitur, cum in sale status volatilitatis a partium comminutione, & cum sulphureis laxiori combinatione resultet, quod uni ignis energiæ sæpiùs deberi, quàm plurima suadent experienta.

56. Quare prædicta omnia recolligentibus nil aliud videtur esse *Sanguis*, nisi *fluidum quoddam aqueum*, in quo immediate confusæ sint, Primò, *diversorum*, & diversi *status salium particulae*, diversæ ideo figuræ, & molis; Secundò, *stamina albidae concrescibilis substantiae*; Tertiò, *globuli rubri*, & indè aliquando *exsoluta plano-ovalia corpuscula*; Quartò, quæ non modo ex hisce substantiis, verùm & ex chylo immediate sese explicant, *sulphuris ramenta*; Quintò, *moleculæ ex prædictorum combinatione fortuitò resultantes*; Sextò, *partes chyli non satis attenuatae*, quæ diversam naturam redolent, & prout diversimodè participant componentium materiem, & prout ejus moleculæ arctiori nexu sese invicem apprehendunt, ut minus faciles ad *exsolutionem patiendam reddantur*; & tandem Septimò, *aereæ particulae cùm Crassiores*, quæ unà cum chylo advehuntur, tūm Subtiliores, per respirationem nactæ, quæ omnem effugiunt *analysim*: statim enim ac extravasatur *sanguis*, eas in aerem rursùs se recipere, rationi consonum videtur; quas omnes diversas substantias in sanguinea massa existere, satis evi-

denter hucusque deduximus. His porrò suppositis satis & natura Sanguinis dignosci, & explicari posse singulæ ejus actiones, & affectiones, tūm naturales, tūm præternaturales, videntur, si prædictæ partes sic compaginatæ censeantur, ut in statu naturali certa sit quantitas, substantiæ diversitas, proportio, motus, moles, figura, & situs, ut ab initio proposuimus.

55. Quòd *caput mortuum*, *oleum*, & *spiritum* inter partes sanguinis integrales non enumeraverimus, causa patet ex antea expositis, respectu olei, & spiritū; quòd verò ad terrena materiam, inde provenit, quòd non credamus, eam sinceram sero innatare, ut exaratae substancialiæ reliquæ; at solummodo in concrescibilium materierum, fibræ, puta, & globulorum rubrorum, compage contineri. Major difficultas est de *pinguedine*, quam inter Anatomicos aliqui a sanguine separari, alii verò deductam a ventriculo, & primis viis sanguini affundi existimant, quorum si alterutrum supponamus, oportet, ut ipsa, vel sub forma pinguis substancialiæ, vel ejus materia, aut resoluta, aut aliter combinata reperiatur in sanguinea massa. Si respiciamus ad id, quod ferunt observationes, sanè nullum *olei*, aut *pinguedinosæ substancialiæ* vestigium in sanguine appareat, a quo ejus existentia naturalis deducatur; fore autem ut appareret, necessarium videbitur observanti *oleositatem pinguedinis talem esse*, ut cum aquæ

aqueo liquore, citra præparationem, miscellam nullam patiatur. Si igitur inessent sanguini, vel pinguedinosi vapores, vel oleosæ guttulæ, utique hæ innatantes sero sanguineo se proderent; illi verò oleoso lentore inficerent superexpansam vel manum, vel vitrum, quorum neutrum, sanguine secundùm naturam se habente, observatur. Quocirca dicendum est, pinguedinis tantum materiam in sanguine existere, vel resolutam, vel nondum combinatam in eam formam, quam contenta in suis sacculis, & striis pinguedo præfert. Non cogimur ergo, ex iis, quæ ab Auctōribus circumferuntur de pinguedine, novi aliquid in sanguine statuere.

56. Modum quod attinet existendi prædictarum materierum in sanguine, illud certò supponendum, earum unionem non redolere, nisi meram confusionem, nullo modo verò arctam mixtionem; oportet enim, ut omnes in sua libertate sint, ad hoc ut in actiones a Naturæ sagacitate ipsis destinatas promptè possint erumpere, quod non contingere, si aliquo mixtionis vinculo implicarentur. Hinc Natura non a fermentativo motu, qui statas exigit separationis periodos, sed quidem a *circulari*, & *agitativo*, sanguinis fluiditatem, & partium mixturam expostulavit, qui motus semper, nisi modum excedant, aut omnino languescant, sinunt hujus, aut alterius partis a tota massa secessum, absque ulla apposita resistentia,

imò motus attemperatione , aut concitatione utitur Natura pro casuum diversitate , quibus habenis agitatio , & circulatio sanguinis alacriter obtemperat , cum e contra fermentativus motus efferatior sit , quām ut possit sub Naturæ regimine mitescere . Hinc languida est in statu naturali sanguinis fermentatio , & a reliquis omnino obruta .

57. Estet inquirenda hic substantiarum omnium , quibus sanguinea massa coalescit , ad invicem proportio . De sero quidem , & parte concresibili supra dictum est aliquid , quod a veritate non abhorret ; at de reliquis res adeò difficilis est , ut humanæ indaginis longè superet solertiam . Possemus quidem a *Boylei* experimentis aliqua mutuari huic intento conducentia , sed præterquām quòd negotium complere non possunt (in principiis enim tantummodo **Chymicis** eruendis versatur) non eum in modum instituta sunt , ut juxta nostrum modulum debuissent ; quare , quo usque saltem suppetat huic parti supplendæ materia , ab ulteriori inquisitione abstinebimus , hoc unum rati , quod etiam *Boyleus* affirmat , summam esse in principiorum sanguinis proportione , juxta circumstantias , varietatem . De motu , & quantitate sanguinis non est , quòd plura addamus ; satis enim de his ab initio verba habuimus ; de mole autem , & figura componentium , præter jam dicta , & nonnulla in posterum dicenda , generalia tantum haberi possunt .

58. Qua-

58. Quare transeamus ad indagandum *usum*, quem prædictæ omnes partes in sanguine præstant; & primò quidem, cum *serum*, si ab omnibus degeneribus partibus spolietur, nil aliud sit, quām *pura puta naturalis aqua*, quæ universale est Naturæ menstruum, in quo substantiæ quælibet ad animale, & vegetable saltem Regnum spectantes, & plures etiam, quæ ad minerale attinent, dissolutæ contineri possunt; quin illud idem in sanguine efficiant, non est dubitandum; quare primus usus aquæ in sanguine est, quod contentis omnibus, in suo sinu locum præbeat, ea dissoluta retineat, secumque in circuitu deferat. Et quoniam id habent fluida quæque, ut immersis corporibus, tantum gravitatis adimant, quanta est gravitas fluidi sub eorum mole, ut ex Hydrostaticis patet, profectò fluitantia in aqua sanguinis corpuscula, cum non multo majori gravitate, quām aqua, polleant (ut patet ex eo, quod observavit Boyle, scilicet gravitatem specificam sanguinis, et si per circumstantias variet, eò tamen ferè recidere, ut sit ad gravitatem aquæ specificam ut $1\frac{1}{7}$ ad 1) minimum sanè gravitatis retinebunt; ideoque magis motui a corde, vel ab alia causa impresso, erunt obsequentia. Similiter quia leviora fluido corpora, tantò fortius ad superiora detruduntur, & ad separationem ab humido urgentur, quantò major est excessus gravitatis fluidi supra eorum gravitatem,

hinc fit, ut volatiles sanguinis particulæ, quæ ejus aquâ leviores sunt, hujus beneficio in motus adigantur celeriores; ideoque generaliter (& est secundus notabilis, & insignis effectus aquæ in sanguine) quælibet in eo contentæ particulæ sive graviores, sive leviores, sive æque graves, aquæ ope, mobiliores, & magis energeticæ evadunt; Tertiò, quoniam quidquid a sanguine separatur per modum vel ichoris, vel fermenti, fluidum aliquo pacto esse debet, propterea ab aqua sanguinis, suæ fluiditatis fundamentum mutuatur; Quartò, pari ratione, sui copiosiore mixturâ fluiditatem sanguini, saltem ex parte conciliat. Plures alii sunt aquæ effectus in sanguine, iisque non contemnendi, sed ne longius, quam par sit, excurrat oratio, quatuor prædictorum assignatione contenti simus.

59. *Sales* in sanguine cunctos status fortiuntur; in aqua enim simpliciter explicati, *soluti* appellantur; si ultra quam aqua possit, extenuentur, ita ut eorum ramenta minimum molis acquirant, & nulli alteri principio uniantur, *fluoris statum* nanciscuntur; si verò attenuati quidem sales, ramosis sulphureis particulis implicitur, ita ut earum effluxus cohibendo, leviores evadant, *consurgentes moleculæ* ad statum volatilitatis evehuntur, quorum multa copia sanguini inest, multa item necessitas. Et hi quidem omnes sales aquæ innatant, in qua tamen, neque

que fixitatis, neque fusionis statum possunt obtinere; non fixitatis, quia nimio humido perfusæ salinæ particulæ coguntur ad solutionem transfire, & primævam fixitatem relinquere, quæ sine humido, vel quasi, esse debet. Nec obstat, quod dixerimus in sero sanguinis sales fixos contineri, eò tunc enim fixitas laxiori vocabulo sumpta est, prout videlicet a volatilitate, & fluore distinguitur, præterquam quod per analysim Chymicam obtenti sales, relegato humido fixi fiunt, qui antea erant soluti; & hoc sensu loquuntur Auctores, fixos sales sanguini concedentes. *Fusio* pariter salium in aqua Sanguinis haberi nequit, cum hæc consistat in transitu eorumdem a statu fixitatis ad statum solutionis, qui in humido copioso ferè momentaneus est. Possunt quidem, & *fixitas*, & *fusio* salium in compositis moleculis, quales sunt *fibra*, & *globuli rubri*, locum habere, non tamen in fortuitis concretionibus racemulorum; hæc enim sicuti facile ex occurribus simpliciorum particularum fiunt; ita & brevi iisdem de causis dissolvuntur: in illis verò, quoniam arctior est partium nexus, & fortior mixtio, potest & status fixitatis diutius conservari, & status fusionis in earundem resolutione obtineri, in quibus ex adverso, neque fluentes, neque soluti sales, ut plurimum, possunt reperiri.

60. Licet autem, volatilis salis in Sanguinis
E 5 craſta-

crassamento existentiam, supra negaverimus ex Chymicis præparationibus fatis probari; non idcirkò tamen ejus præsentiam in aliis partibus inficiamur, tūm quod ejus effectus manifestissimi prodeant in functionibus omnis generis, tūm quod nihil desit ad ejus confectionem necessarium; quippe, & *sal*, & *sulphur*, tanquam materia, non absunt; efficiens verò utrumque subtilians, rectificans, uniens, motus nempe, & calor, præstò est; locus item non desideratur, in quo citra impedimentum totum opus perfici possit. Itaque *volatiles sales*, & ab effectu, & a facilitate compositionis, in sanguine abundare, concludendum est.

61. Quoad *salium effectus* in sanguine, sciendum, *fixos*, & *fusos* per se, nihil, aut saltem parum efficere, sed materiam reliquis identidem subministrare; volatiles verò actuosioribus, tūm spiritibus, tūm fermentis coagmentandis inservire; fluentes, si vitriolici, & aluminosi sint, in fermentum acidum, stomachi faceffere; si muriatici, salso stomachico fermento famulari; eosdem verò muriaticos, tartareos, & nitrosos, quoniam cum sulphure plurimam habent familiaritatem, occasionem expectare, ni prona sit (frequentissimè autem adest) quâ volatiles fiant; tandem, solutos sales quoscunque, tūm dissolvendo, & attenuando noviter advenienti chylo; tūm resolvendis in sua principia fibrâ, & globulis rubris, tūm motui

tui musculari ex parte excitando, tūm fermentis componendis, tūm nutritioni, & speciei propagationi promovendæ, & infinitis aliis efficiendis suum famulitum præstare. Quoniam verò ingens quotidie suggestur a chylo salium vis, supra usum sanguinis, & animalis; ideo Natura, quod superfluit, aut inutile est, per glandulas, & poros cutis, per renes, per hepar, aliaque hujusmodi emunctoria foras propellit; adeò ut non totum sal, quod in sanguine luxuriat, certo effectui a Natura destinetur.

62. Succedit examinandus *usus fibrae sanguineæ, & globulorum rubrorum*, quæ essentiales sanguinis partes non sunt, at solummodo integrales; quia licet necessariò exigantur ad humani sanguinis compositionem, ideoque verè ejus componentia sint; non idcirco tamen desinunt esse composita. Et primò quidem *globuli rubri* manifestè rubrum sanguineæ massæ colorem largiuntur; iis enim *præsentibus rubor, absentibus aliis color emergit*; veruntamen cum color in mixtis, non intentum quoddam Naturæ sit, sed quid necessario succedens partium componentium figuræ, earumque insimul adaptatio ni, undè in eodem subiecto tot colorum mutationes contingunt salvâ substantiâ (ut evidenter apparet etiam in sanguine, qui aliud coloris est in arteriis, aliud in venis, & in capillaribus vasis omnino decolor, ut mihi quidem ob-

ser-

servare non semel contigit in corde ; *Leeuwenhoeckio* verò ubicunque minima sunt vasa , quod indè oritur , quia disjectis ob angustiam vasorum sanguineis globulis , plano-ovales particulæ non modo ab invicem sejunguntur , sed in alias minores comminuuntur , a quibus nullus color emergit) sanè in sola coloratione , sanguineorum globulorum effectus non sistitur , sed ad aliquem potiorem finem dirigitur ; sed in eo determinando anceps hæreo , nec satis , quò me vertam , scio. Possem profectò multas in medium proferre suspiciones , sed malo meam fateri inscitiam , quām sententias nullo fundamento innixas effutire. Aliis igitur provinciam hanc intactam relinquens , ad fibram sanguineam me converto.

63. *Fibræ sanguineæ* Medici ferè omnes , solidarum partium augmentum , & nutritionem concedunt ; his tamen , eorum pace , adhæerre non possum : nam cum partes quæcunque nihil sint præter vasorum aggestum (*vasa* hic intelligo quæcumque humoris continendo , vel ve-hendo destinantur) hæcque nihil ultra convolutas membranas , filamenta , scilicet , nervea diversimodè contexta ; jam quælibet nostri corporis partes in prima sui formatione nervoso generi debentur , ipsis neque ossibus exceptis. Cumque insuper hæc filamenta ab intrinseco , sive , ut vocant , per *intus-sumptionem* augeri debeant (non enim aliâ ratione dirigitur fluidum partes

partes primò componens, deinde augmentans, quām a suorum componentium figura, & ab ipsa augendæ partis antecedenti constitutio-
ne &c.) videtur non Sanguini extrinsecus ad-
venienti, sed succo per nervos fluenti, aug-
mentatio referri debere; atque ob id in ovo
incubato, primò carina, & cerebri, id est,
nervosi systematis rudimenta apparent, ante-
quām cor, & rubens sanguis. Præterea si di-
camus, partes omnes, ut verè fert observatio,
membraneas esse, aut iis congeneres, easque
a proprio intus fluente succo efformari, jam
totius humani corporis unicum est, & ho-
mogeneum principium, id quod magis sim-
plicitati, & uniformitati Naturæ consonum est,
quām a sanguinea massa tam diversi nutrimen-
ti principia desumere. Verūm de his fusiùs
alibi. Interea statuamus a sanguine immedia-
tè partes non efformari, neque augeri, at so-
lùm *nutririri*, sumpto *nutritionis* vocabulo secun-
dùm rem, non autem juxta communem ex-
plicationem: nutritæ enim dicuntur partes,
quando justâ magnitudine potiuntur, turgent-
que succo ad earum *actiones eliciendas*, & *con-
servandas* necessario, a quo earum *robur*, *mo-
les*, *color*, *consistentia* &c. secundùm naturam
derivant. Hic succus cuilibet parti appropria-
tus subministratur a Sanguine, eoque partium
interstitia quælibet, & porositates replentur,
cum tamen non immutetur, ut communis fert
sen-

sententia, in nutritorum substantiam, sed continuâ circulatione, antiquo recedente, novus adveniat, nisi tamen comprincipium aliquod addere debeat summè subtiliatum, & a fibra sanguinis valdè diversum, quo succus nerveus in aliquibus partibus v. g. in ossibus ferruminetur, densetur in cartilaginibus &c.

64. Denegato igitur fibrosæ Sanguinis parti augmentationis, & nutritionis officio, quærendum remanet, *an artificium Naturæ sit, an verò necessitas, sanguinem parte concrescibili ditasse?* Utrumque probabile esse videtur; nam si Sanguis ex solutis, iisque omnibus in libertate constitutis principiis ditatus fuisset, facile ea defluxissent, præcipue, quæ magis volatilia sunt; atque ob id, & in effluxu concitatiorem motum, quam Natura ferat, induxissent, eorumque actione, propter facilem evaporationem, propediem cessante, sanguis vapidus remansisset, præcipuis ejus activitatibus constituentibus destitutus; undè ad hujus incommodi reparationem, novi chyli continua suggestione opus fuisset, quod in perfectioribus taltem animalibus impossibile est. Quocirca magis consultum fuit Naturæ, pluribus quidem, iisque solutis particulis sanguineam massam, seu potius ejus serum (in quo solo essentia, & activitas veri sanguinis est) imbuere; at multo plura intra partem concrescibilem abscondere, quæ sale, & sulphure copiosis, ad invicem me-

medio præcipue terreo vinculo unitis, ditescit; hæc etenim, utpote crassioribus, & ponderofioribus constans moleculis, volatiliorum motum cohibet, eorumque largiorem simul prohibet effluxum, dum interim a subtiliorum, & magis agitatarum actione repatiens, & ipsa tandem resolvitur, suaque componentia aqueo latici concedit; novas tamen eodem tempore concretiones moliens, simulque auxiliares copias nova chyli accessione recipiens, ita jacturas reparat, ut resistendo efferatæ agitationi, cohibendæque prodigæ difflationi, æquè ac subministrando quantum opus est, & utile serosæ portioni, par esse possit. Atque ab hac artificiosissima Naturæ lucta sanguinis temperiem, huicque subsequentes animalium actiones pendere, non improbabiliter remur.

65. Verùm *fiba sanguinea* etiam necessitatis Naturæ opus est; cum enim secundū rationem non esse videatur, quòd cibariorum, per primam coctionem, ultima resolutio celebretur (si enim hoc esset, facile per amplos primarum viarum sinus, volatilium particularum pars magna, ni tota deperderetur, patente utrinque exitu) non aliter fieri potuit, quām ut Natura, eā subtiliatione contenta, quæ ad separationem a fæculentis, & ad facilem transitum per lacteas sufficiens esse poterat, ultiorem omnem renueret. Cum igitur alimenterum in chylum immutatio ultimam non præ se fe-

se ferat in omnibus partibus resolutionem, neque tantum valeat lymphæ cum chylo mixtura; opus est, ut chyli crassiores, compositæque moleculæ, vasa sanguinea subingrediantur, ulteriorem inibi solutionem subituræ, & hæ sunt illæ, quæ in fibram sanguinis, maximam partem, facescunt. Duplici igitur nomine, & necessitatis, & instituti Naturæ, crassamentum Sanguinis totius vitæ promptuarium est.

66. Fibræ sanguineæ assignatum usum, ut pote maximi in Medicina, cùm *Theoretica*, tūm *Præctica* ponderis, illud confirmare videtur, quod fermenta, & functiones quælibet ad sui conservationem fibrâ non utantur sanguineâ, sed existentiam suam, & energiam totam a sero, & innatantibus ei partibus deducant, id quod ostendit, vim Sanguinis immediatam in serosæ portione præcipue consistere, quo nomine superflua fuisset Natura in partis concrescibilis destinatione, si asserta serosæ portionis constitutio a concrescibili suam conservationem non hauriret; præsertim cum hæc, si non ad vitam præcisè efficiendam, saltem ad eam, & sanitatem conservandam, non minus ac serum necessaria sit; cuius rei evidens indicium est, quod sine parte concrescibili humanus Sanguis esse nequeat, & ab ejus constitutione conjecturas sumant Medentes, non modò morbi qualitatem, sed & ejus diversum statum dijudicandi,

tandi, quidquid reclamet *Helmonius*. Possem hic plura ad maiorem evidentiam addere, sed ne longius, extra propositum ab initio argumentum, excurrat, ea omnia reservabo Dissertationi *de Natura, & Causis Febrium*; quæ hujus editionem, si Deus dederit, sequetur, in ea etenim ex iis, quæ præter naturam se habent plura deducimus motiva nostrum propositum ostendentia.

67. Sulphureas particulas inesse sanguineæ lymphæ ostendit, Primò intensus ejus *calor*, qui, asserente *Boyleo*, erumpens e vena secta, dierum canicularium æstum longè superat; & consuetam aeris temperiem, quantumvis post extractionem jam coagulari videatur; Philosophis enim & Chymicis persuasum est, caloris sensum præcipue a tenuibus sulphureis ramentis, celeriter, & perturbato motu agitatis, sensorium rectè dispositum incurrentibus, derivandum esse; Secundò, *existentia in sero sanguinis salium volatilium*, qui sine sulphure, eoque subtiliato confistere nequeunt; Tertiò, *copiosa a crassamento olei prolectio*, cuius sulphur, licet fibrarum moleculis fixum contineatur, nihilominus tamen in earum resolutione, ad serosam partem commare, necesse est; Quartò, *prompta crassamenti ejusdem exsiccati inflammatio*; nam si ejus pulvis in flamمام candelæ projiciatur, in transitu, cum stridore, & crepitu (quod salium effectus est) promptè ignem concipit ad instar resinæ. His igitur omnibus de rationibus

sulphuris in aqua sanguinis præsentia statuitur, & in ea admodum subtilis, & volatilis, in fibra verò crassioris, & fixi. Primi usus est, ut sanguini eum, qui observatur, calorem tribuat; Secundò, quod sales evehat ad volatilitatem; Tertiò, quòd suâ concitatâ agitatione fibræ sanguineæ moleculas ad resolutionem, & disponat, & aliqualiter perducat; Quartò, quòd advenientem chylosam substantiam attenuando, & subtiliando, ad sanguinis characterem suscipiendum, pronam efficiat; Quintò, quòd totam massam exagitet, illiusque fluiditatem promoveat. Crassius verò sulphur aſſervatur in crassamento, ut in hujus dissolutione, quæ indesinenter fit, subtilioris dispensia continuò possint reparari, Naturæ providentiâ quantitatem effluentis, per copiam noviter affluentis præter compensante.

68. Fortuitus particularum sanguinem coagmentantium occursus, earumque diversa, tūm figura, tūm motus, vix permittit, ut integrum in iis omnibus libertatem agnoscamus; vix enim concipi potest, quin aliquæ invicem, tantisper saltem, sese uniant, celerem eādem facilitate solutionem passuræ; unde necesse est, ut identidem novæ congestiones, & diversi generis moleculæ componantur. Harum aliquæ, ut ita dicam, fugitivæ sunt, quæ ex accidentali occursu fiunt, &, ut mox dictum, eādem promptitudine oriuntur, & pereunt; alia verò a Natura, vel intentæ sunt, vel ejus necessitatem

tem sequuntur: Primi ordinis sunt *fortuitæ concretiones*, quarum nullus est usus; & præterea sales volatiles, & soluti, & si quæ aliæ sunt, hujus farinæ, moleculæ, quarum effectus supra exposuimus. In secunda verò *differentia* constituuntur, bilis, urinæ, & similes moleculæ, quæ licet accidentaliter suam compositionem nanciscantur, diutiùs tamen eam retinent, causâ, vel facilis adhæsionis, quâ earum partes se invicem amplectuntur, vel multitudo componentium, quæ in massa sanguinea possunt reperiri. Id contingit bili, cuius moleculæ humido solutæ liquorem illum componunt, qui in hepate separatur; in sanguine autem restitantes, illius serum flavore, vel virore inficiunt, quin imò carnibus irretitæ, illas luteo tingunt colore. A sanguinis fibra derivare tales moleculas, non improbat duxerim, cum verosimiliter nihil aliud sint, quâm reliquæ veterascentis sanguinis; constant enim ex terra, sale, & adusto sulphure, tali, vide licet, quale superesse ex fibrosa molecula probabile est, post tenuioris tûm salis, tûm sulphuris evolationem. Itaque si fixiores sales multo capiti mortuo irretiti, & crassius sulphur invicem continentur, biliosa emerget molecula, sive nova fiat eorum unio, sive in fibræ resolutione tales concretiones residuæ sint; utrumque enim, pro casuum varietate, fieri posse, a ratione non abhorret. Id ipsum urinæ

quoque contingit, quæ cum ex prædictis nihil aliud sit, quām serum sanguinis finē parte concrescibili, aut paucā saltem, non modò inest sanguini secundūm aliquas moleculas, sed secundūm totam substantiam, quæ si convenienter in renibus segregetur, ita ut in massa sanguinea non plus ejus remaneat, quām aut vasa continere possint, aut sufficiat eidem diluendæ, utique nullibi, præterquām in renibus, manifestatur; at si supra modum turgeat, & impetum faciat in partes, novas sibi vias molitur ad exitum, quarum præcipuè sunt salivales glandulæ, quæque secretioni fermentorum in stomacho famulantur, eò tunc enim, & saliva, & ichores per vomitionem ejecti, urinæ odore, & sapore molesti fiunt, ut observavit *Malpighius* in Præceptore suo *Francisco Natali*; ego verò in Equite quodam levioris armaturæ, qui Eminentissimo Cardinali *Gastaldo* ab excubiis erat; & in non ignobili *Caufidico Bononiensi Laurentio Garofalo*, qui omnes a calculis renes, & ureteres obstruentibus extinti sunt. Præterea neminem latet, chylum non semel alimentorum, & medicamentorum qualitates infractas in sanguinem advehere; id quod præcipuè cognoscitur ex urinarum odore, nonnunquam etiam substantiâ: id autem provenit a moleculis cibariorum, & potulentorum, non satis in prima coctione subactis. Hæ autem, similesque identidem existentes in sanguinea massa moleculæ omni

omni ferè carent usu, vel quia præternaturales, vel quia fortuitò advenientes, aut concretæ, ideòque in naturali statu, aut dissolvuntur, aut ad convenientia secretoria amendantur. Similis est ratio de chylo, quem non semel observavit massæ sanguineæ, cum distinctione, innatantem Doctissimus *Loverus*, & post eum alii multi; chylus enim in Sanguine nihil præstat, antequàm suam substantiam illi assimilarit, quæ actio, quoniam non unius visceris, neque unus circuitus, opus esse potest; idcirco fieri nequit, quin chyli stiriae diutiùs in vasis restitent, antequàm in perfectum sanguinem convertantur, expectantes interea necessariam immutationem.

69. Quoniam duplicis generis aerem in sinu sanguinis recondi, supra probavimus, utriusque usus hic esset adducendus; quoniam tamen de spiritu nitro-aereo abundè verba fecimus, non est operæ pretium eadem rursùs repetere; ideoque aliqua solum addemus de bullis aeris, quæ sicut in reliquis liquoribus, ita etiam in sanguine latitant. Hæc quidem aeris cum omnibus liquidis mixtio, primâ facie, necessitas potiùs videtur, quam finis; veruntamen advertentibus, quantum opis conferat aer fermentativis liquoribus, & quanta copia aerearum bullularum in fermentationibus quibuscumque elevetur, meritò suspicari licet, aliquod subesse, fortasse incognitum nobis, Naturæ mysterium,

in sanguine saltem, cui fermentiscibilia principia nullo modo sunt deneganda. Quoniam igitur hæc, præcipue in crassamento latent, in quo solo aliqua fermentatio, illud ad dissolutionem disponens haberi potest, Doctorum sit judicium, utrùm aeris in sanguine præsentia, ad prædictam fermentationem possit collimare, qui aer suo functus munere, in serum secedat cum urina eliminandus.

70. Revelatâ jam, quantum nostræ ætatis cognitiones permittunt, Sanguinis natura, periculum faciendum, num quæ in hanc rem hucusque diximus, phænomenis sanguinem & præcedentibus, & comitantibus, & subsequentibus, satis convenient. Cum igitur Sanginem præcedentia, duo sint; prima, scilicet, ejus in *Embryone generatio*, & *chyli in sanguinem conversio*, breviter de utraque differendum est; quoniam verò in humano Embryone non satis habemus observationum, quantum exigitur, ad hanc materiam pro dignitate tractandam, cogimur ab *ovorum*, præfertim gallinaceorum, incubatu, more eorum, qui difficillimum de Hominis generatione argumentum aggrediuntur, mutuari.

71. Quàmvis in ovo rubens sanguis, observante, colendæ semper memoriæ, Præceptore *Malpighio*, post duos tantum, paulò minùs, dies incubatûs emergat, non idcircò tam credendum est, inibi cò tunc Sanguinem desin-

desiderari; ad essentiam quippe Sanguinis rubor absolutè non requiritur, cum hic a plano-ovalium corpusculorum coagulatione resultet, quæ cum in angustissimorum vasorum meandris conservari nequeat, decolor Sanguis evadit. Non igitur ex ruboris carentia sanguis ovo, etiam ante incubatum, denegandus est, iis omnibus constans principiis, quibus verus Sanguis in gallina. Assertionem hanc duo præcipue suadere videntur, alterum quod inclusi quilibet in ovo liquores, tum etiam colliquamenta, nemine repugnante a sanguineis fontibus dimanarint, ita ut ab his, & partium diversitatem, & componentium proportionem nacta sint; alterum, quod iidem liquores, nullo facto additamento, soloque a calidis effluviis accedente motu, ad subluteum, mox ad ferrugineum, tandem ad purpureum colorem, transitum faciant. Una ergo est partium nova positio, non earundem variata proportio, aut additamentum, quæ tincturarum efficit diversitatem. Cum itaque ad determinandas rerum essentias soli colori minimè fidendum sit, sed attendenda præcipue componentium natura, eorumque ratio, & mixturæ modus; & præterea cum ex prædictis constet, in colliquamento easdem esse substantias, eâdem proportione sibi invicem respondentes, utique factendum est, colliquamentum non modò verum esse Sanguinem, sed & purissimum, & acti-

vissimum, solumque illi deesse, ut dignitatem suam ostentet, quod demissam paulisper purpuram, denuò reassumat. Hoc quam facile fieri potest, si effluvia calida, inductâ in colliquamento turgentia, angustissimas vias, quibus illud antea continebatur, ampliores efficiant, non modò, ut contento sanguini patentiorem permittant transitum ad embryonis inchoamenta, sed præterea, ut ejus partium agitationi liber sit locus, quo exactæ concretiones haberi possint, tum diversarum substantiarum, tum præcipue plano-ovalium particularum, & globulorum rubrorum, a quorum emersione, ut saepius dictum, rubor advenit Sanguini. Hinc est, quod pro ratione dilatati vas, qui antea limpidus erat humor, subluteam adipiscitur tinturam; mox factâ majori expansione ferruginem; tandem, quantum satis est ampliato vase, ut liberè agitari liquor, ejusque partes homogeneæ se se invicem amplecti possint, purpuream. Non fit ergo in ovo novi sanguinis generatio, sed per pristini coloris recuperationem, nova tantummodo ante existentis emersio, qui etsi actuosissimus, amissâ, loci & moventis defectu, cum officio purpurâ, in ovo languet incubatum expectans, quo superveniente, laxatis carceribus rursus incipit superbire, breve depositâ larvâ, in primitivam se se asserit majestatem. Ex traduce itaque a Matre in Embryonem habetur sanguis, ita ut affirmare nil vetet,

tet, primam sanguinis generationem a Summi Crea-
toris sapientia, & omnipotentia profectam fuisse.
Quoniam tamen, rerum ordine sic postulan-
te, primus sanguis, primitus creato animali,
secundum unamquamque speciem, sat esse non
poterat; multo minus innumeris succedenti-
um natorum myriadibus, oportuit quidem,
ut deficientis, consumptique sanguinis per cau-
fas naturales fieret reparatio, sed haec ea lege
adstringeretur, ut praexistens sanguis, non
modò futuri exemplar esset, sed etiam immu-
tationis principium, & agens, ut in fermentis
usu venit, quorum aliqua advenientem sui
ordinis substantiam, in suam naturam conver-
tunt; ex quibus colligere licet, nullum ades-
se, neque viscus in corpore, neque in sanguine
latitans peculiare fermentum, quod sanguineum
imprimat in succedente sigillum, sed
totum sanguinem fermenti vices ad hæmatosim
præstare.

72. Ad hanc igitur descendentes, primò ad-
vertimus, non ejusdem status esse moleculas,
in quas cibaria per primam coctionem resol-
vuntur, & ex quibus chylosa massa coalescit;
diversos enim dissolutionis gradus, ratione di-
versæ partium laxitatis subiisse, necesse est, id-
que tantò verius est, quanto succedens in itine-
re lympha novam apponit digestionem. Ideò
quæ chyli particulæ, ipso ingressū tempore in
subclaviam sinistram, eam jam adeptæ fuerint

subtilitatem, ut sero sanguinis utiles esse possint, in eo statim sese explicant, & non minùs ac cæteræ, jam a multo tempore in vasis sanguineis existentes, functionibus adhibentur; hinc oritur cita virium refectione, quæ a cibo; & citior, quæ a spirituosis liquoribus, & cordialibus medicamentis obtinetur. Quæ verò chyli moleculæ magis crassæ, & fixæ sunt, quam ut possint immediate in actiones sese exercere, ulteriori indigent subactione, & resolutione, ad quod primò requiritur, cum particulis sanguineis, laxa quidem, sed ad minima, mixtio, quæ a motu circulari, a resistentiis, a vasorum compressione, præcipue in pulmonibus factâ, aliisque similibus causis dependet, idque eapropter, ut facilius mobiliorum partium occurribus, quæ eas conterant, objiciantur. Itaque si resolutio fiat in minores moleculas ejusdem naturæ, ac magnitudinis, via quidem ad sanguificationem aliqua emensa est, sed non is terminus acquisitus, ad quem Naturæ finis collimat, ideoque ulteriori opus est rectificatione, quam ubi demùm adeptæ fuerint, ita ut in particulas resolutæ sint, quæ vel globulis sanguineis componendis, vel substantiis in sero necessariis reparandis sat esse possint, vel saltem ita comminutæ, & subactæ fuerint, ut fibrosæ portioni, citra substantiæ dissimilitudinem, suppetias ferre valeant, tunc ad sanguinis homogeneitatem redactæ, nil aliud quærunt,

runt, ut Sanguinis nomine insigniantur. Hæc igitur hæmatōsis secundūm nostrum conceptum idea est, in cuius examine evidenter liquet, non omnes chyli particulas eodem tempore, sanguinis naturam ingredi, sed alias citius, alias serius, juxta earum diversam compagem, quā vasa subeuntes, potiuntur. Patet etiam non eandem esse sanguinis in omnibus animalibus, chylum in sui substantiam immutandi vim, sed in aliis vegetiorem, in aliis languidiorē, prout magis, vel minus activis principiis Sanguis ditatur, & prout principiorum activitas magis, vel minus sub regimine Naturæ est.

73. Ex his ad concomitantia Sanguinem phœnomena, transitum faciamus; sunt autem hæc *calor*, *rubor*, *fluiditas*, *motus*, *tenuitas*, *gravitas specifica*, & *segregatio in partes*. De hac ultima, sicuti de rubore & motu, præter jam exposita, nihil est, quod in medium producamus; nonnulla etiam diximus de calore, sed multa adhuc supersunt addenda; pluris enim eum fecerunt Antiqui, adeò ut supra elementarum naturam aliquid sapere, analogum elemento stellarum, existimarint; & Recentiores non minus de eo commenti sunt, flammulam nescio quam, aut ignem Naturæ introducentes, a quo ille dependeat, ut apud *Gassendum*, *Willisium*, *Hogelandum*, aliosque videre est. Veruntamen, si doctissimorum Virorum auctoritate posthabitâ, uni rationi, & veritati litan-

litandum sit, neque ullum admittere tenemur in animalium sanguine, calidum innatum, quod a massâ ipsa sanguinea diversum sit, aut a reliquis calidis alienum; neque in corde flammulam ullam, aut ignem, a quo accensus, & deflagrans sanguis calorem participet. Quò enim ad calidum innatum, illud omnino superfluum est, & sinè actione; nam cum a sulphureis particulis, ut dictum est, omnis ferè efficientia caloris dependeat, hæque, suis agitationibus idoneum locum habeant in sanguine, fomitem verò, cùm in chylo, tūm in fibra sanguinea, quæ instar elychnii est, a quò quidquid calori conservando est opus, jugiter elevatur, ita ut fibra sanguinis quodammodo humido radicali Antiquorum correspondeat, quod continuo à calore depascitur; utique ullam videmus necessitatem aliud calidum admittendi, quod ex ejus Auctorum placitis, præter effectus supra dictos, sensu, ratione, & experientia duce explicatos, nil debet efficere. Superfluum est igitur quodcumque ponamus innatum calidum præter sanguinem, & pressius loquendo, præter sulphureas particulas ipsius sero innatantes, & concitatissimo motu agitatas. Neque majorem plausum merentur, qui *vitalem flammulam* comminiscuntur, tanquam *caloris aëtricem*; licet enim nulla flamma, aut ignis sinè calore sit; frequentissimè tamen calor sinè flamma consistit. Flamma sinè aere esse ne-

nequit, non item calor, qui etiam in vacuo
Boyleano sese expandit absente aere. *Calor* in
humido aqueo & est, & aliquandiu durat,
quod tamen & ignem, & flammarum extin-
guit. *Calori* opponitur *frigus*, quod tamen
nullo modo igni, aut flammæ officit; uno
verbo antecedit ignem calor, licet, & co-
mitetur, & subsequatur; nimis quia opus
est, ut combustibilium corporum sulphureæ
particulæ in motum adigantur, antequam in
ignem, aut flammarum erumpant. Adde quod
neque ignis succederet, nisi sulphureis parti-
culis impetu exhalantibus nitroſi, & tarta-
rei aeris sales occurrerent, qui earum vola-
tilitatem coercendo, illisque sese intricando
efficerent, ut sensibilis evaderet, quæ aliâs,
præter caloris sensum, nullo indicio se prode-
ret, sulphurearum particularum eruptio; re-
mora enim, quam apponunt aerei sales evo-
lanti sulphuri, in causa est, ut illud copiosi-
us congeratur, unde magis intensus calor; &
ut verticalem directionem partim retrahat,
partim in obliquas, & magis horizontales con-
vertat, undè in particulis ætheris undulatio-
nes illæ contingunt, in quibus consistit lu-
minis actio, ut ferè ad evidentiam ostendit,
in suo Tractatu de *Lumine nostræ ætatis ful-*
gidum Lumen Hugenius. Præterea actæ in
motum vehementissimum salinæ particulæ,
obvia quæque corpora dissolvunt, undè ali-
qui-

quibus calcinatio, aliis ustio, & incineratio, aliis in auras resolutio, omnibus verò tandem fusio contingit; quare urendi, novumque ignem producendi facultas, non in solis sulphureis particulis, sed in earum, cum salino-aereis copulatione, & motu consistit. Hæc de natura ignis vel leviter tacta, sufficient ad ostendendum, licet ignem indispensabiliter comitetur calor, aliud tamen esse calorem, aliud ignem; illum enim efficiunt sulphureæ particulæ, subtilitatæ quidem, & motæ; hunc verò illæ eadem cum salibus aereis colluctantes, sinè quibus nullus ignis. Cum igitur in Sanguine, & corporibus animalium ubique sanguine perfusis, qui alioquin aqueum fluidum est, nulla possit naturaliter aerearum particularum cum sulphureis combinatio contingere, ut ea fiat, quæ in aere, lucta, profecto nullus ignis, neque ulla flamma, aut cordi, aut sanguini inesse poterit, at solus calor, qui tantum a flamma alienus est, quantum effectus componentis a toto compposito.

74. Non minus pariter falluntur vitalis flammæ Assertores, cum ejus existentiam a *Luce*, quæ in *piscibus putrescentibus*, *ovis lacertorum*, *nodilucis* &c. observatur, deducunt; quamvis enim lux inter ignis proprietates, & effectus recenteatur, non ea tamen est, ut absque igne esse nequeat; quid enim impedit, quo minus undi alationes iis similes, quæ ab ignis agitatio-

ne

ne proficiscuntur, etiam ab aliis motibus ætheri imprimantur? An excitabitur in *retina* igniculus, cum presso exteriùs oculo lucis scintillæ videntur obversari? quis calor in *noctilucis* est? quis in *piscibus*? quis in *Lunari lumine*? quod licet magnis *Tschirnhausii* Doctissimi Collegæ lentibus recollectum, nullum in foco lentis, sive radiorum unione, caloris augmentum exhibuit, quamvis aptissimo thermometro experimentum, non ita pridem tentatum fuerit in Aula, & sub auspiciis, semper literarum splendori faustissimis *Serenissimi Magni Ducis Hettruria*. Si igitur frequenter nullus lumini calor comes est, qui adeò igni essentialis est, ut idem sit dicere ignem non calentem, ac aquam siccam, patet evidenter, lumen sinè igne excitari posse, ideoque a præsentia lucis non satis argui ignis, aut flammæ existentiam. Quare non præter rationem est, si eodem modo, quo omne calidum innatum, sic quamcumque flammulam vitalem, aut in corde, aut in sanguine agnoscere recusamus. Quod si quis jugem, & præpetem sulphurearum particularum a crassamento sanguinis eruptionem, quâ nihil similius inchoamento flammæ, velitflammam dicere vitalem, per me liceat, sedflammam asseret, neque lucentem, neque urentem, id quod, quam benè sonet, esto Philologorum judicium.

75. Porrò sicuti sanguis sulphureas quòcumque

que secum trahit particulas, quamvis plures ubique, & semper, ab ejus consortio liberentur, per poros membranarum, a quibus non satis coercentur, evolantes, ita & cunctis partibus calorem communicat, non omnibus tamen æqualiter, sed aliis plus, aliis minus; et enim ubi copiosior est Sanguis, ubi magis agitatur, ubi lætior est sulphurearum particularum proventus, ibi etiam plus caloris parti impertitur. Hac de causa fit, ut circa pulmones, & cor, quò totus confluit ab universo corpore Sanguis, ubi volatiles chyli particulæ primò sese explicant, ejusque moleculæ primam dissolutionem patiuntur, ubi magis a respiratio-ne, & attractis aeris particulis agitatur, ubi celeriore, a corde recepto motu urgetur, ibi etiam, quàm alibi, calidior sit sanguis, calidores & partes, & viscera; remotiores verò contrariâ ratione, regulariter calorem remis-siorem participant. Sic quæ partes majoribus irrigantur vasis, calidores sunt illis, quæ minoribus potiuntur; atque hinc factum est, ut membranæ, ossa, & cartilagines, censeantur partes corporis frigidissimæ, non quod sanguine defraudentur, sed quia adeò exilibus ditantur ve-nis, & arteriis, ut neque in iis multùm possit agitari sanguis, neque colorari, alioquin etiam paucissimus. Ex his apparent nullum esse parti-bus insitum temperamentum, sed illud, quod habent, a sanguine, & ejus distributionis mo-do,

do, potissimum fortiri. Non est ergo, quod miremur, cor viscus esse calidissimum, id quod fecellit vitalis flammæ Propugnatores, qui ab excedenti caliditate in corde, necessitatem ardoris in eo fomitis deduxere, cum non aliud sit in corde fomes, præter sanguinem tanseuntem.

76. *Fluiditas sanguinis* partim ab *aqua* est, quæ sicuti liquiditatem à Natura participat, ita etiam particulis, quas sibi immiscet, eandem quodammodo communicat; partim a *motu cunctumque generis*, cuius beneficio graviores, & leviores partes, ne subsidant, vel evolent, impediuntur; partim a *tenuitate particularum*, a qua est, ut graviores aquâ plurimam offendant ad descendendum resistentiam, autem in ratione ad molem superficie; leviores verò poris occurant, quibus irretiantur, undè facilior *mixtio*, & ab hac promptior ad fluendum *propensitas*.

77. *Tenuitas* verò sanguinis, quæ omnem captum superat (perluit enim vasa adeò exilia, ut omnem renuant comparationem) in ejus substantiæ subtiliatione, & exacta rectificatione, de qua sæpiùs ante hac egimus, radicata est. Tandem *gravitas specifica*, aliquantò major gravitate aquæ, evidenter oritur a mixtura materierum aquâ graviorum, quales ingredi sanguinis compositionem, suo loco probavimus. Sicuti enim aqua sale aliquo imbuta, gravior redi-

ditur, quia unum corpus efficit cum sale aquâ graviore, ita quoniam in unam substantiam cum aqua rediguntur, diversæ partes eâ graviores, ita compositus ex omnibus sanguis, oportet, ut majorem nanciscatur, quam aqua, gravitatem.

78. Jam ad phœnomena sanguini succedentia accedendum est, inter quæ illa tantum seligemus, quæ ad secretiones attinent, aliâs enim cogeremur integrum Oeconomiam animalis hoc loco retexere. Ostendemus igitur assertam a nobis Sanguinis naturam, optimè convenire naturæ fermentorum, & aliorum humorum, qui sanguinea massa ope glandularum se junguntur. Antea verò animalis separationis idea præ oculis ponenda est, quæ quia glandularum ope celebratur, ideò ab harum structura exordiendum est. Ad glandulam quamlibet arteriosus canalis sanguinem vehens transducitur, cuius ramuli in plurimas divisi propagines, sibi invicem in retis modum occurrentes, ipsum glandulæ corpus irrigant. Advectus sanguis, a venis simili ratione disseminatis, absorbetur, & quod reliquum est, ad dextrum cordis thalamum reducitur. Vasorum ductum sequitur nervus surculus, qui & ipse per totam glandulæ substantiam spargitur. Licet communia hæc vasa toti glandulæ prospiciant, non ideo tamen ubique eodem munere funguntur. Quæ ad nostrum finem pertinent vasa sunt, quæ per membranam quandam, modò in vesiculæ, modò in formam tubuli

tubuli effectam, disseminantur, ab his enim peculiare officium præstatur; nam cum adveniens sanguis in lacunas effundatur, quæ inter arteriam, & venam mediant, partem sui aliquam inibi relinquunt, quæ in vesiculam, vel tubulum prædictum transcolata, novi liquoris denominationem ranciscitur; cumque vesiculæ cilibet vas quoddam appendatur, quod excretoriū dicitur, idemque succedat in fine tubuli, quoties non in vesiculam, sed tubulum secretus humor deponitur, fit ut hic a prædictis excretoriis vasis aliò deferatur ad constitutos Naturæ fines. Atque ut novo succo impetus communicetur, quo viam suam possit emetiri, & facilitior reddatur ejusdem a massa sanguinea separatio, Natura carneas superaddidit fibras, vel glandulosum folliculum circumvestientes, vel alia ratione sibi ipsis implicitas, a quarum diverso positu, tum & folliculorum agglomeratione exterior glandulosorum corporum configuratio resultat. Ex hac generali glandularum descriptione oritur quidem generalis glandulæ idea; sed differentiæ a variis accidentibus desumuntur: Vesiculares quippe sunt glandulæ; quarum folliculus in vesicam parvam conformatur; vasatæ verò, quæ in tubulum, seu vas parvum, suum primò humorem elutriant; si vesicularium glandularum plures in unum veluti glomerulum uniantur, fit glandula conglomerata; si paucæ, & pluribus carneis fibris in-

terseptæ, ita ut compositum, olivarem quasi figuram habeat, conglobata. Si prædictæ vesiculares glandulæ sejunctæ sint, vel miliaries, vel lenticulares, desumpto ab externa figura nomine, indigitantur. Sic aliæ oriuntur partim ab externa, partim ab interna confirmatione glandularum differentiæ, in quibus multum quidem, sed serio, ludit Natura.

79. Ratio, quâ pars Sanguinis ab ejus massa in folliculum transit, sensuum omnium subterfugit testimonia, quo circa plures ab Auctori- bus venundantur hypotheses, inter quas illa semper cæteris præstare mihi visa est, quæ supponit determinatæ magnitudinis, & figuræ porulos membranis secreticibus insculptos reperi- ri, supra quos effusus, & agitatus, majori, vel minori impetu, sanguis, ut in cribro fit, de- terminatas sinat secedere particulas, retentis iis, quæ vel incommensurabilem habent cum fora- minulis figuram, vel crassiores sunt, vel quibus Sors favet, ne pororum aperturæ applicentur. Cum itaque non ejusdem generis sint separati a Sanguine liquores, eorumque diversitas, vel a varietate componentium, vel ab eorundem diversa proportione, dependeat; oportet, ut in membrana secretice alicujus glandulæ, pori non modò diversum schema habeant, ut diver- sarum figurarum particulæ, quantum opus est, per eos aditum habere possint; sed qui unius figuræ sunt, ad eos, qui alterâ potiuntur, sta-

tam habeant proportionem; quo posito, evidens est, a porulorum numero determinari secernendi liquoris copiam; ab eorum figura selenigi determinatas substantias, & a diversæ figuræ porulorum ad invicem proportione fieri, ut diversæ substantiæ eam inter se rationem habent, quam postulat separati liquoris natura. His omnibus idcirco in glandulosum folliculum dependentibus, factaque eorumdem confusione, aut mixtura (quæ a carnearum fibrarum constrictione, & succedente motu promovetur) novi liquoris apparentiam manifestari necesse est, conjunctâ præcipue aqueâ portione, cui aliquando sui poruli destinantur, cum ejus magna vis esse debet; aliquando non, satis patente exitu per eos, qui aliis substantiis dicantur, quos omnes præ sui tenuitate, ferè æqualiter perluit.

80. Separati hoc modo liquores, modo simpliciter excrementitii sunt, ut *urina*, & *sudor*, qui propterea extra corpus emittuntur; modo inutiles quidem respectu Sanguinis, & hac ratione excrementa sunt; utiles verò alteri cuidam actioni, ut *bilis*, & *saliva*, &c. quorum etsi Natura excretionem moliatur, non absque usu tamen id efficit; alii verò neque excrementitii sunt, neque ullâ ratione inutiles, sed actionibus inservientes, ut *liquidum nervorum*, & *lympha*. Consuevere nonnulli prædictos omnes liquores, nomine fermentorum insignire, meo saltem judicio, perperam, cum multi ex illis,

nulli, aut fermentationi, aut mixtioni, aut exaltationi, aut mixtioni, aut præcipitationi famulentur, ut patet in excrementitiis, qui irrevocabili exilio damnantur; alii verò mechanicis actionibus tantummodo manus ferant adjutrices. Pluribus tamen fermenti nomenclatura deneganda non est, & sunt illi præcipue, qui primæ coctioni quomodolibet destinantur, qui que sanguini de novo affunduntur ad novas laxitates &c. inducendas. Absit autem, ut illa fermenta in partibus solidis, aut visceribus, præter secretos liquores, constante naturâ agnoscamus, a quorum actione hæc, vel illa dependeant, quorum non satis causa se prodit. Contra hæc enim iure optimo irascuntur nonnulli, eò quod sint ignorantiae asyla, & in locum facultatum, & spirituum, quorum nominibus adhuc reboant (mirum, quanto literatorum scandalo) antiquitati addictorum scholæ, suffecta. Sed quorsum hæc? nobis præcipue, quibus onus incumbit examinandi secretorum liquorum naturam, ut pateat, eorum materiem nullam aliam esse, nisi eam quæ in sanguine observatur.

81. Itaque ne per omnes separatos a Sanguine humores excurrere cogamur, præstantiores tantum assumemus; scilicet nervorum liquidum, lympham, bilem, pancreaticum succum, salivam, stomachica fermenta, urinam, semen, & sudorem, a quibus omnibus breviter nos expediemus. Nervorum liquidum dupli ci constat parte, volatilestissimâ unâ, craf-

crassiusculâ alterâ; illa ex salibus volatilibus rectificatissimis ad ultimum omnino volatilitatis gradum evectis, constat; quibus idcirco summa mobilitas, promptusque quidam elater competit, a quo tensi nervi sensus participes fiunt; ne verò nimia mobilitate agitati spiritus hi, animales dicti, vasorum texturam evaderent, eos fluido quodam coercuit glutinosiore, unâ cum iisdem secreto, quod colliquamento illi, quod in cicatricula ovi observatur, meâ faltem sententiâ, analogum, nisi homologum est. Hoc per nervorum tubulos excurrens, efflatis in apicibus filamentorum nervosorum spiritibus, subsidet, præbetque augmentum canali, per quod eò delatum est, quodque a supervenienti liquore apertum detinetur, sicque augmentatio partium contingit, quæ idcirco in duobus primariò consistit, canali videlicèt fluidum primò dirigente, & fluido canalem producente, sibique novas vias, novasque directiones parante. Quid simile contingit in fluminibus, quæ per paludes excurrentia, suos alveos protrahunt, elevatis hinc inde ripis a subsidente limo, ab ejusdem fluminis aquâ delato. Utrumque autem hoc liquidi nervorum principium, non est, quod dubitemus a sanguine hauriri posse, sales enim volatiles, ut diximus, in eo luxuriant; glutinosus verò liquor (glutinosum voco ab effectu, non in se) ab adusto sulphure fusis tenuissimis salibus coacto, & aquæ immixto, trahit nata-

82. *Pancreaticus succus* alkalico turget, & non-nihil volatili sale, cuius partium porositas a combinatione est, paucum sulphure, eoque subtili, & multâ aquâ; hinc acidus frequenter evadit, nam volatiles sales, quoniam comminuti, si exaltato sulphure, quoad volatilitatem evecti sunt, spolientur, desinunt in fusionem, & si talem figuram habeant, quæ ad aciditatem conferat, acidi, si aliâ, aut falsi, aut austeri &c. fiunt. *Saliva* glutinoso liquore, multis salibus solutis, præcipue tartareis, imprægnato, multoque aere, componitur *Semen spirituosi-ores*, & activiores sanguinis particulas, animalibus spiritibus analogas, & copiosiore glutine coercitas nanciscitur. *Sudor* tenuis quædam urina est, a qua non differt, nisi contentorum proportione, & partium tenuitate; in sudore enim subtiliores sunt partes, partim necessitate naturæ a sanguinis massa liberatae, partim studio eliminatae, & paucum phlegma, ex quo fit, ut per modum insensibilis effluvii abeat, cum aqua sufficiens deest; in sudorem vero densetur, cum ejus major est proventus. De *Urina*, *Stomachicis Fermentis*, *Bile*, & *Lympfa*, quæ supra diximus, hic locum habent; unde ea repetere operæ pretium non est. Cum igitur prædictorum succorum contenta omnia jam in sanguine præextiterint, non admodum difficile est judicatu, nihil inesse fermentis, & li-quori-

quoribus ab eo secretis, quod ab eodem non potuerit subministrari; ideoque adductam in hac exercitatione Sanguinis naturam iis etiam, quæ sanguinem consequuntur, abundè satisfacere.

83. Pro hujus dissertationis coronide, remanet solvendum Problema, quod summam involvit difficultatem; scilicet undè sit, quòd licet, consumpto in functionum usu sanguine, novus succedat ex chylo generatus; adhuc tamen procedente ætate, sanguinea massa ita languescat, ut aliquando usui inepta reddatur, ob idque necessarii interitus radix fiat? Fateor quidem æstuosiorem esse juvenum Sanguinem, a quo vegetiores actiones; in senibus verò vapidorem, undè debilitas, & in morbos proclivitas, difficilior item convalescentia. Causam refundunt plerique in calidum innatum, propter pabuli defectum, decrescens, ideòque in radicalis humidi consumptionem; alii verò in sanguinis fermentum tractu temporis enervatum; sed somniata hujusmodi, & calidum, & humidum, & fermentum supra reprobavimus. E contra si hæc non admittantur, nulla videtur esse ratio, ex natura Sanguinis petita, propter quam sanguificatio non eodem semper modo succedat; ideoque nulla causa, cuius defectu succedens sanguis deterior sit antecedente; Cum tamen constet, provectionis etiam ætatis fœminæ sanguinem, in foetu quodammodo renovari, & consopitum in matre vigorem, cum ad

filium transit, reassumere (id quod non quadrat, neque enervato fermento, neque humido radicali defienti) aliunde deducenda videtur propositi Problematis solutio.

84. Ut igitur, quod sentio, liberè dicam, adverto, hæmatosis opificium deberi quidem immediatè actioni sanguinis antecedentis modo, qui supra descriptus est, sed ut perfectè fiat, plures circumstantias requiri; primò quippè opus est, ut prima coctio naturali modo fiat, ita ut perfectissimus chylus sanguini suggeratur; Secundò quòd excrementa sanguinis extrinsecùs propellantur; Tertiò quòd ea sit in corde virtus, quæ sanguini convenienter agitando necessaria est; Quartò quod in respiratione purissima pars aeris hauriatur ad sanguinem vitalisandum. Plures alias adducere possem necessarias conditiones, sed quoniam adductæ, nostro fini sufficiunt, a reliquis assignandis supersedebimus. Igitur si prædictæ conditiones immutentur, aut quodammodo depraventur, opus est, ut hæmatosis a sui perfectione desciscat; depravari autem propter ætatem necesse est, ut mox ostendam, ideoque pari necessitate fit, ut sanguis in senibus deterioris conditionis sit, quam in adolescentibus. Ut hoc ita esse demonstremus, memoriâ recolendum est id, quod mox dicebamus de fermentis per glandulas separatis, ea videlicet suam debere naturam figuræ, magnitudini, & proportioni partium

partium, quibus coalescunt, totumque hoc a poris glandularum secreticum derivare. Porro vix concipi potest, quin protracto in multos annos secernendi opere, ex indeficienti transitu particularum, & ex multiplicatis impulsionibus præterfluentis sanguinis, iidem pori non laxentur, aut aliam, ac prius figuram non acquirant; multi etiam, vel a crassamentis particulis, aliisque degeneribus substantiis saltem non semiobstruantur; cui depravationi, siquidem insensibilis sit, ut ab initio succedit, insensibilis, aut etiam nullus succedit effectus; consuevit enim Natura in utilibus potius abundare, quam deficere, suaque operationes filo, ut ita dicam, non alligare. Veruntamen si glandularum structura adeò depravata sit, ut error dissimulari non queat, necesse est, ut fermentorum natura mutetur, pariterque iis subsequentes actiones; id quod, si illis fermentis accidat, quæ ciborum digestionem, vel efficiunt, vel ei manus ferunt adjutrices, opus est, ut depravatâ coctione, chylus non adeò laudabilis sanguini offeratur, & consequenter, quod hæmatosis imperfectior evadat. Cum igitur fermentorum immutatio a praedicta causa dependens, sensim, &c, ut ajunt, sine sensu fiat, pari pariter passu sanguificationis opificium languescat.

85. Quamvis, ubi sanguinis viget motus, nullæ, nisi præter naturam, subsidentiæ contingant, adhuc tamen ubi is hebetatur, velut

in

in substantia carnium , & minimis vasis, impeditri nequit, quin aliquid quandoque, vasorum, aut interstitiorum parietibus hæreat. Id evidenter ostendit differentia, quæ observatur inter carnes juniorum animalium , & seniorum, v. g. inter carnem vituli , & bovis: hæc rubicundior semper est, illa albidior ; & licet multâ aquâ calidâ, utraque caro abluatur, illa quidem rubicundum colorem ex parte amittet, hæc autem candidior evadet; sed nullâ operâ ad vitulinæ albedinem, bubula unquam perducetur, evidenti indicio, majorem bovis, quam vituli ætatem in causa fuisse, ut intra illius musculos aliquid sanguinis, veluti tartarum, concreverit, quod brevior vituli vita non permisit. Similis est ratio de tendinibus, qui in pedibus, & cruribus gallorum indicorum, propter ætatem, in osseam substantiam indurescunt, qui tamen in pullis nunquam a naturali, & consueta constitutione deficiunt. Quare cum non minus carneis, quam nerveis fibris contingat, intra earum cavitates prædictas crustas obduci, necesse est, ut utrumque viæ, aliâs fluxuris humoribus patentes, angustentur, & consequenter ut procedente ætate, non tanto sanguine musculosæ carnes irrorentur, nec tanto spiritu nervosæ turgeant; unde ad actiones evadant seigniores. Cum igitur hoc in corde, pariter ac in reliquis musculis, evenire necesse sit, jam imminutâ in corde vi, tardior fiet *Sanguinis*

nis circularis motus, nec tantâ promptitudine agitativus celebrabitur, quo circa nec tantum difflabitur, aut calescit sanguis, nec tanta facilitate noviter accedens chylus in sanguinem convertetur.

86. Pari ratione, quoniam per pulmones, qui ad modum glandulæ sunt, ab aerea massa secernuntur, & in sanguinem introducuntur, quæ ei utilia sunt, id quod, sicut in glandulis, ita & in pulmonibus porulorum beneficio fit; si his contingat, causâ longi temporis, major dilatatio, ita ut crassiores, & fixiores sint nitri partes ab aere exhaustæ, variatâ naturâ hujus vitalis instrumenti, diversificabitur & ejus actio, quæ cum plurimum hæmatosi conduceat, ejus necessariò aliqua labes succedet. His omnibus si copuletur excrementorum, alioquin eliminandorum, retentio, quæ imperfectam hæmatosim necessario consequitur, augeturque ab excretoriorum labe, oportet, ut tanto majus in ipsa vitium manifestetur.

87. His igitur de causis, quarum per ætatem emersio inevitabilis est, contingit, ut perfectæ sanguificationi imperfectior succedat; ideoque, quod vitio structuræ, non enervati fermenti, non deficientis humidi radicalis, non aliâ quâcunque de causâ vis sanguinis in senio languescat, & tandem deficiat, a quo inevitabilis mors, nisi a causis accidentalibus externis, vel internis maturius succedat. Cum autem in

110 *De Sanguinis Natura,*
in Embryone nova aptetur structura hæmatos-
fi aptior, nil mirum, si veterascens, prædi-
ctis, aliisque pluribus de causis sanguis ma-
ternus, veluti rejuvenescat, & novâ assumptâ
virtute in actiones, & pronior fiat, & prom-
ptior.

88. Atque his quidem nobis videmur Natu-
ram Sanguinis, & Constitutionem satis expli-
cuisse; plura, & meliora proferent alii, quibus
& ingenii acumen, & experiendi, observandi-
que commoditas, & meditandi circa has utiles
doctrinas otium, magis, quam mihi, contin-
git. Tu interim, Amice Lector,

————— *Si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti, si non, his utere mecum.*

D. O-

DOMINICI GUGLIELMINI
BONONIENSIS
PRO
THEORIA MEDICA
ADVERSUS
EMPÍRICAM SECTAM
PRÆLECTIO.

INSTITUTI CECILIANI

BONONIAE

THEATRUM MUSICA

ADVERBIA

EMULIGAM SECTIONE

PRAEACTIO.

DOMINICI GUGLIELMINI
 BONONIENSIS
 PRO
THEORIA MEDICA
 ADVERSUS
EMPIRICAM SECTAM
PRÆLECTIO.

Pythagoram Auditoribus suis, antequam ad Sapientiam admitterentur, quinquennale imposuisse silentium, Auctor est Philosophorum Chronista Diogenes Laertius in ejus Vita; quam legem, non contra vocis, & loquelæ usum, sed contra inanem disceptandi garrulitatem, quæ Tyronum plerisque familiaris esse solet, prolatam, censent Eruditi; cumque inter humanas disciplinas, nulla sit, quæ magis opinionum diversitates abjiciat, quam Mathesis, hujus studium, specie quinquennalis silentii Pythagoreis inculcatum fuisse volunt, priusquam ad alias scientias, Physicam, Ethicam, Medicinam, Politicam, aliasque similes, in quibus castigatius Judicium, & Ingenium veritati venandæ assuetum requiritur, promoverentur.

Id ipsum mihi auspiciatò evenisse, sentio, Auditores; etenim cum huic, quod nunc subeo,

H The-

Theoricæ Medicinæ subsellio Fata jam diù destinassent, non antea eorum decreto id fieri debuit, quām post emensum per tria, & amplius lustra Mathematicum stadium, ut Geometrico silentio dexterior factus, novo muneri sustinendo accommodatior existerem. Hoc etiam fortasse fuit supremæ Auctoritatis de me consilium; cum enim quadriennio ante Mathematicæ palestræ tenuitatem meam præficeret; nunc jubet sacrosanctæ Medicinæ adita penetralia, ejusque oracula pandere, & mysteria referare, adeo ut, tum ne Fatis injurius sim, hanc mihi semitam successuum continuitate commonistrantibus, tum ne Serenissimi Principis expectationi, & voluntati, quantum in me est, deesse videar, ita obstringi me sentiam, ut in hac Cathedra sic Medici personam sustineam, ut Mathematicus esse non desinam, ideoque non modum profitendi, sed munus, & professionis tantummodo objectum mutasse deprehendar.

Novum nequaquam est, Mathematicas contemplationes Medico operi esse copulandas. Sensit id Hippocrates, qui *in Epistola ad Thesalum filium*, Geometriæ, & Arithmeticæ studium, uti Medicinam fakturis, non modo utile, sed necessarium pluribus exemplis, & longa oratione persuadet. Sensit & Galenus, qui lib. *Si quis optimus Medicus*, eos redarguit, qui Hippocratem laudantes, ejus præceptis nequaquam obsequuntur, Geometriæ, Astronomiæ, & Arith-

me-

meticæ nullam operam conferentes : Et *primo* *Methodi c. i.* objurgat Thesalum, qui sex mensium spatio Medicinam ex integro se traditurum gloriabundus spondebat , quasi ac neque Geometriæ, neque Astronomiæ, neque alicujus bonarum Artium indigerent, qui Medici futuri sunt. Sensus & inter Antiquos Soranus Ephesius, qui *in Isagoge cap. 2.* juramento adactos vult Medicinæ studiosos ad Arithmeticæ, & Astrorum scientiæ operam dandam. Sentiunt denique id ipsum Recentiorum cordatores quique, quos jam pudet suffarinatis Veterum opinionibus magnos Libros, & ut Græcum fert adagium, *Magna mala*, complere, sed placet à densissimis rerum visceribus Medicorum tractatum hauriri principia, eaque non alia, quam Geometrica methodo, & Mechanica omnino ratione petractare; quibus mediis jam tantum succrevere Apollineæ laurus, ut plurimam spem faciant, futurum ut successu temporis in proceras adolescentarum arbores, quibus Antiquorum Artis honos obumbretur, & posteri tandem liquidò agnoscant excultam, a Mathesi Medicinam, tantum præstare illi, quæ a Principibus, ut ajunt, Artis in orbis adolescentia inventa est, quantum senes juvenibus fiunt sapientiores.

Scio nonnullos, quos non Medicinæ decus, non incrementum, non perfectio; sed plurima tantummodo Artem faciendi occasio tangit, Mathematicas despicere tanquam Medico nullatenus

nus proficuas: Alios mitius quidem agentes, eodem tamen claudicantes talo, usum Geometriæ, & Mechanicæ in Theorica Medica adstipulare, in Practica tamen omnino utilem deneicare, quæ non Theoreticis speculationibus, sed usu, exercitatione, & congrua remediorum administratione absolvitur tota.

Dogmata hæc, quæ licet falsa, ægrorum tamen suffragio fulciuntur nil nisi remedia, quibus a morbis liberentur a Medico expostulatum; immò & plausu dissentium, qui in Artem longam incumbendi tædio sublevantur, adeò percrebuere, ut jam jam non modò Geometriæ, & Mechanics, sed etiam Physicæ, & Anatomes studia despiciantur, uti ad sapientiam tantum, si Diis placet, non ad usum comparata. Sic Medicina, quæ tanto conatu, nec omnino infelici successu ab Hippocrate, & Galeno è sui natalis sordibus liberata est, & ex ignobili, & empirica, nobilis, & rationalis facta, denuo recidit in sterquilinum, & Medici posthabito rationis usu, uni, & infido experimentorum eventui ægrorum vitas committunt, adeò ut renovata nostris temporibus antiquiorum infelicitate, tot ferè in Urbibus sint Agyrtæ, tot Circumforanei, quot Medici.

Id tanto confidentius dixisse liceat, quantò certius est Nobilissimam hanc Civitatem, nulla unquam ætate hoc malo laborasse, immò potius Almi hujus Athenæi beneficio, non modò The-

Theoricam Medicam , sed cunctis suspiciendam Nationibus medendi methodum semper excoluisse , quà , & Civium servata incolumitas , & ægris ab exteris regionibus huc confluentibus valetudo restituta . Ob id ipsum contra denuo gliscentem Empiricam sectam declamare supervacaneum foret , nisi hæc Pestis eo contagiosior , quò desidiosior , ni curativum , saltem prophylacticum remedium expostularet , & nisi Auditorum plurimos alienigenas viderem , quos , cum in Patriam redierint , ab Empiricæ contagio incolumes cupio .

Præservativæ igitur medelæ loco sit , si ostendero Praxim Medicam , sive , ut nonnulli loqui malunt , Clinicam Artem nullo pacto stare posse , nisi Theoricæ Medicinæ studio suffultam , atque hanc nullatenus suam perfectionem , acquisitaram , nisi Physico-mechanicis , adeoque Mathematicis fundamentis fuit superstructa .

Neminem vestrum esse , arbitror , qui hujuscce argumenti , quale sit momentum , & dignitas non agnoscat : agitur quippe de mediis , quibus hominum vitam tueamur , quibus antiquum hujuscce Lycei decus conservetur , quibus denique studiosæ juventutis rectæ institutioni consulatur . Quæ omnia quanti nostra , quanti vestra , quanti Bonorum omnium intersint , is solus videre non poterit , qui Tiresia cæcior extiterit .

Ut igitur ad evincendum propositum argumenta vestros ante oculos exponere aggrediar, mecum quæso perpendite, medendi Artem per cæca experimenta, inter mortes, & funera, sua habuisse incunabula: vagientem vocibus caruissè, quibus morbos, symptomata, auxilia aptè exprimeret, & adhuc reptanti non licuisse certum gressum figere, quo ad propositam metam properaret. A rudioribus hisce primordiis sensim, veluti ab infantia ad rationis usum proiecta est, cuius ope a malis bona, ab inutilibus utilia distingui cœperere. Hinc indesinenti observatione, continuo que experimento, nunc fausto, nunc infelici, majorem ætatem adepta, ita cœpit Scientiæ naturali immisceri, ut in Artis formam potuerit ab Hippocrate concinnari. Tunc ad firmam juventutem visa est pervenisse, sed variis exinde agitata vicissitudinibus, parum abfuit, quin in ipso ætatis flore periret; & sanè periisset, nisi Galeni temporibus restituta, & tota ad exactæ rationis libram expensa, tantum ab eo vigorem sumisset, ut multorum judicio virilitatem tunc attigisse habita sit. Fateor non mediocria Medicinæ incrementa, summis hisce Artificibus tribuenda esse, eo vel maximè, quod a nuda successuum memoria ad Artis dogmata, & ad rationalem methodum fuerit traducta. Fateor, & a subsequentibus Jatrophysicis non vulgaria eidem accessisse ornamenta,

vel

vel nova in usum vocando remedia, vel aphorismos tradendo, aut ad diagnosim, aut ad medelam, aut ad prognosim pertinentes.

Verum tamen si Medicæ Artis in opere felicitatem, quantum sat est, perpendamus, planè non videtur ab Hippocratis ætate ad nostra usque tempora, eam tantùm progressam fuisse, quantum viginti, & amplius sæculorum, quot a divino Sene ad nos usque numerantur, labor, experimenta, exercitatio spem facere potuissent; Qui enim antiquitus morbi incurabiles prædicabantur, qui chronici, qui periculosi, eisdem incurabiles, chronicos, periculosos experimur: Eadem incertitudine, qua veteres, de acutorum morborum exitu judicia ferimus: eodem, & fortasse minori eventu crises prævidemus: uno verbo, semper morbi curati sunt, & non curati; semperque ex morbis plures periere, plures item evasere superstites.

Quid istic rei est, Auditores? Cæteræ quidem Artes de suo opere certæ sunt, suumque finem assequuntur, & quamvis initio rudes, & impolitæ, Artificum tamen studio, & industria suam tractu temporis noctæ sunt perfectionem: Sola Medicina promissis stare non potest, sed semper hæsitans, semper vacillans, semper incerta, nec longævitate firmata est, nec diutina observatione, perfecta.

Diversitatis hujus causam, quæ incertitudinis etiam Artis Medicæ eadem appareat, alii in

remediorum, quibus utimur, inconstantiam, & imbecillitatem; alii in naturam Artis refundunt; injuria tamen utriusque. Quod enim ad Medicamenta pertinet, ea utique causæ sunt naturales, & inviolabili necessitate, non ex arbitrio operantes, quarum idcirco nunquam derit effectus, si intra suæ sphærā activitatis, & sub requisitis conditionibus applicentur, immo semper sibi similes, si uti causæ, ita similia subiecta, similesque pariter fuerint circumstantiæ. Quocirca si non idem semper medicaminum eventus sit, ea inconstantiæ accusanda non sunt, sed quidem varia subiecti dispositio, quæ cum semper eadem non occurrat, aliquando remedii actionem enervat, aliquando prævertit, aliquando intendit & auget. Sicut igitur ridiculè admodum redargueretur ignis, quod aquam non incendat, aut quod metalla non vertat in calcem, sed potius irridendus esset, qui talia ab igne expectaret; ita cum remedium aliquod absque successu propinatur, deficiens effectus crimen, inepte admodum remedio affigitur, cum incapacitati subiecti tribuendum sit, aut potius (absit injuria dicto) Artificis imperitiæ probè non intelligentis statum corporis ægrotantis.

Profectò enim si is indolem auxilii, quo utitur, si naturam subiecti, hominis videlicet, cui illud applicat; si mutationes, quæ corpori ab alimentis, ab aere, ab animi pathematibus, ab ætate, a morbo, a remediis ipsis contingunt;

sique eorundem remediorum vires nosset, planè remedium aliquod non propinaret, nisi eò tunc, cum ejus actio inanis esse non potest. Non igitur Medicamenta nos fallunt, sed potius fallimur à nobis metipsis prædicta ignorantibus, idemque nobis accidit, quod Pitcatori, qui, ut inquit Petronius, *nisi eam apposuerit hamis escam, quam scierit pisciculos fore appetituros, sine spe prædae moratur in scopulo.*

Eadem ferè ratione a sui natura imbecillitatem, & incertitudinem Medicina non sortitur; licet enim conjecturalem tantummodo Artem habeamus, conjecturalem tamen ignavia nostra efficit, cum suapte natura non sit. Quidquid enim in Medicina facienda occurrit, id totum a causis & naturalibus, & necessariis dependet. Si generatur homo, a causis naturalibus generatur: si vivit, si agit, si valet; per causas naturales, & vivit, & agit, & valet: si ægrotat, non nisi a causis naturalibus in morbum conjicitur: si beneficio remediorum pristinam recuperat sanitatem, remedia ipsa, ut mox ostendimus, non nisi naturales sunt causæ: si tandem in interitum ruit, a causis naturalibus occiditur, adeo ut ab exordio vitæ, usque ad ultimum spiritum, nihil occurrat in homine, quod non sit opus Naturæ, totaque vita nil aliud sit, quam catenula quædam effectuum naturalium causis suis indissolubiliter connexorum. Quapropter cum ef-

fectus ostendant causas, & ex adverso causæ præmonstrent effectus, nullus est conjecturæ locus in Arte Medica, si eam in sua essentia, & perfectione, non prout in nobis existit, consideretur. Mehercle, si Medicina illa, quæ in Deo Optimo Maximo reperitur perfectissima, nullis conjecturis innititur (aliter enim assicerere, non modò impium, sed & stultissimum esset) quid clarius, quam quod eadem natura sua non conjecturalis, non incerta; sed tota scientifica, tota constans, tota certissima sit. Si ergo ea, quam nos habemus tanta perfectione non gaudet, repetere cogimur non a natura Medicæ Artis, sed a Medicorum socordia id proficiisci.

Scio inevitabilem esse moriendi necessitatem, omnibusque fatalem esse supremum diem; sed non ideo fit, ut medendi arti aliquid suæ certitudinis depereat; cunctæ etenim Artes non circa quamcunque materiem, sed circa idoneam tantummodo versantur; ineptam tamen distinguere tenentur, ne oleum & operam perdant, & hac distinctione contentæ suam tuerunt certitudinem. Id ipsum efficiat Medicina oportet, ut ambiguitate liberetur, scilicet discat corpora, & morbos distinguere, qui Arti subjiciuntur ab iis, qui supra, vel extra artem sunt; sic enim aut non attinget ægrum, quem non juvet, aut si cogatur aggredi sine successu, id faciet absque ulla nota dignitati Artis iusta. Constat igitur Medicæ incertitudinis causam

sam totam in Medico quæri oportere, in quo propterea, aut experientia desideratur, aut debita eorum cognitio, sine quibus nec Ars, nec Artifex ulla ratione potest subsistere.

Et experientia quidem, qualiscunque ea sit, destitui Medicinam non puto; nusquam enim ab experimentis a primo sui exortu cessatum est, cum quot hactenus fuerint remediorum applicationes, tot etiam experimenta medica habita sint. Quid est in universo Orbe, cuius usus Medicus aliqualiter perspectus non sit? Quæ planta, quæ animalium partes, quæ mineralia prorsus jacuere intentata? Ipsa etiam vitæ oblectamenta, &c., quod mirabilius, ipsa martyria in Medicam materiam faceſſere, ita ut, si verum fateri liceat, non insimulandi sint Medici, quod ab experimento, observatione, & testamentis unquam destiterint; utinam verò ea methodo instituta fuissent, qua doctiores, aut expertiores possemus evadere!

Remanet ergo, ut unico hoc nomine Medicina in suo opere, adhuc hæſitabunda vacillet, scilicet quod Medici nondum potiti sint cognitione eorum, quibus Ars ipsa coagmentatur. Quænam autem ea sint, in præsentiarum indagare juvabit. Finis Medicinæ duplex est; alter ut sanitas, si præsens, conservetur; alter, ut recuperetur, si amissa; Medici igitur munus est, ut in utrumque finem faciat opportuna, scilicet, & quod intendit efficiat, & quod efficit opportunum

tunum sit; quare liquet fundamenta Artis deducenda esse a cognitione eorum, quæ tūm opportuna indicare possunt, tum mentem nostram dirigere, ut cognoscamus, quomodo, & quando Medicamenti actio, opportunitati, quam habemus, fuerit satisfactura. Verūm, cum id, quod opportunè agendum sit in morborum curatione, non nisi ex aberrationibus emergat, & aberratio intelligi nequeat, nisi naturalis status antea perspiciatur; constat fieri non posse, ut Medicis opportuna factu determinet, nisi noverit naturalem Hominis habitudinem; id est, nisi integrum scientiam de Homine fuerit natus. Hinc absque Physiologiæ, & Anatomæ studio, non est ut quisquam sese Medicum jactet: harum quippe occupatio tota est in rimando artificio, quo divinus Plastes humana corpora concinnavit, vel quibus elementis totam corporis molem constituerit, in quot partes distribuerit, qua dispositione, quo ordine, qua organica structura earum singulas donarit, quibus, & cujus crasis humoribus irriguas voluerit, quibus actionibus, & usibus singulas destinat. Hæc fundamenta vitæ, actionum inter se harmoniam, & famulatum, temperamentorum diversitates, omniumque ad vitam, & valetudinem concursum exequuntur; actionum insuper instrumenta, horumque potentias, & potentiarum vires examinant, adeo ut ab hisce duabus Facultatibus, quidquid ad rectum Naturæ

turæ ordinem spectat, omnino petendum sit.

Sciatis tamen oportet, me non modò de rudiori illa Anatome verba facere, quæ ad usus Chirurgicos vix satis esse potest, sed etiam de subtiliori illa, quæ nostra ætate tantum exulta, penitiora viscerum, reliquarumque partium, sibi assumpsit introspectiæ, ad earum compositionem, agendi modos, & usus in lucem producendos accommodata. Cumque in eundem finem conspirent, & Zootomia, & Dendranatome, utraque ad humanam Anatomiam comparata, & has nomine Anatomies comprehensas volo, saltem quoad eam partem, quæ latenti quandoque in homine partium structuræ, & usui lucem aliquam ferre potest. Sæpius enim evenit, ut quod in grandioribus animalibus magis absconditum est, in propatulo Natura posuerit in viliori reptili, aut in obscuriori virgulto. Sic sanguinis circulatio, ejusque varii motus à vena secta, qui in Hominibus non nisi ab effectibus, aut a Statices legibus, & vasorum, & cordis configuratione colligi possunt, in ranis, & vermibus omnium oculis subjiciuntur. Nec dissimiliter principia, & modus generationis, quibus si animalia tantum perfecta scrutemur, nihil obscurius, ab ovi gallinacei incubatu, ob ovorum in bombycibus fœcundatione, atque a seminum vegetatione tantam lucem recepere, ut jam cœperint Veterum commentitia mysteria flocci fieri, novaque hypothesi assum-

assumpta, alias prodierit generationis modus, quem Neoterici tot observationibus, tot experimentis, tot rationibus adeo hucusque confirmarunt, ut sperare liceat, fore ut continuato observandi, & meditandi studio, humanæ Geneseos artificium, non minùs, ac opus respirationis, & motus humorum, tandem aliquando innotescat.

Pariter, cum de Physiologia sermonem habui, non ea mens fuit, ut ea contenti essemus, quæ jejunè admodum, ne dicam vitiosè in Libris veterum Medicorum prostat; ab hac enim non est, ut Medicinæ Studiosus eam de Humana natura cognitionem expectet, quæ ad Artem faciendam possit sufficere. Plura in ea ad sapientiam magis, quam ad opus utilia, plura generalibus vocabulis non explicata, sed merè indigitata, plura etiam aut falsis inædificata principiis, aut non satis expensa, & elaborata comprehenduntur. Physiologiam intelligo, prout moris est, Scientiam naturalem de Homine, quæ tamen non ad placita Aristotelis, aut Galeni, aut Platonis, aut Cartesii, aut Epicuri, sed ad leges veritatis componenda est; neque enim cuiquam licet eorum vestigia sequi, qui, ut inquit Vivis lib. de tradendis disciplinis, *Naturæ huic, quam ignorantent irati, aliam sibi confinxere*, sed ipsa, qualis est, scrutanda, & si licet, revelanda.

Fateor, difficilem admodum hanc esse prævinci-

vinciam, sed addere liceat, meo semper hanc
hæsisse animo sententiam, eatenus Artem Me-
dicam adhuc in vestibulo hærere, quatenus
ex ignorata vera Philosophia naturali non da-
tum est ulteriùs procedere; quod si verum est
uti a quolibet facile concedetur, cui Medicinæ
natura comperta sit, planè liquet in rei tam u-
tilis disquisitione præcipue Medicis insistendum
esse, cum ab hac Artis incrementum, & per-
fectio, & exinde infirmis salus, sanis incolumi-
tas, Artificibus gloria, & in agendo felicitas
futura sit: Difficile quidem opus; sed non im-
possibile, hisce præsertim temporibus, & ut
sperare fas est, etiam succendentibus; postquam
enim Physicæ studium Geometricis, & Me-
chanicis veritatibus inniti, experimentis verò,
& observationibus fulciri cœpit (ut jam parvi
pendantur, quæ alterutro, aut utroque funda-
mento stabilita non sint) profectò si unquam,
nunc firmiter credendum est, fore ut Scientia
naturalis, & quæ hujus pars est, Physiologia Me-
dica, eo veritatis lumine clarescat, quo densissi-
mæ in Praxeos usu occurrentes tenebræ pos-
sint dissipari.

Pergo ulteriùs: Non unicum est hoc, quod
ab exculta Physica manare potest in Medicinam
beneficium. Vivimus quippe, & operamur non
modo ratione eorum, quæ in nobis sunt, sed
præterea illorum ope, quæ nobis extrinsecus
adveniunt. Egemus nempe, & aere, quem
re-

respiremus, & cibo, quo reficiamur, & calore, quo foveamur: cogimur laborem alternare quiete, vigiliam somno: subjicimur extenorū, quæ nos circumdant, injuriis, animique passionum, quæ intus nos dilaniant, feritati: tota denique rerum creatarum universitas nobis vel favet, vel officit. Quocirca nisi horum omnium in humana corpora effectus, quæ propitii, quæ noxii aptè internoscantur a Medico, qua quæso ratione, aut optimum vitæ regimen præscribere, aut si quæ contingunt in pravo usu lassiones, poterit determinare?

Medici igitur est prædicta omnia ita cuilibet adaptare subiecto, ut ex iis utilitatem capiat non noxam, cumque hujusmodi judicium a perspecta extenorū essentia, eorumque in humana corpora actione dependeat, judicet quisque vestrum, an aliunde, quam a Philosophia naturali, eaque legitima, mechanica videlicet, & ab ea, quæ hujus non modica pars est, simulque Theoretices Medicinæ pars magna, & præcipua, Igina videlicet, mutuandum sit.

Abstineo a proponenda necessitate Doctrinæ signorum, quia a nemine, pertinacissimo licet Empirico, vertitur in controversiam. Hoc unum in meam rem moneo, quod licet Semeiotica, prima fronte nihil præ se ferre videatur præter significatum suo significato connexionem, ideoque ab unica observatione hauriri posse, res tamen longè aliter se se habet. Non enim signum

gnum Medicum, ita referri potest ad id, quod indicat, sicut fumus ad ignem; adeo ut sicut ex fumi præsentia ignis arguitur, ita a signis Medicis certa habeantur indicia eorum, quorum sunt signa. Hoc exercitatis in Arte nulla dubii labe notatur; novere namque Prudentiores raro ab unico signo, sæpius verò ab omnium syndrome tum morbi, tum ejus causæ, tum partis affectæ diagnosim hauriendam esse, eosque, & falli, & fallere, qui pauca respicientes de natura morbi pronunciant, & exemplo fortunatæ alicujus curationis, remedia exhibent, tanquam aliàs habitu effectui non defutura.

Signa omnia præternaturales effectus sunt, a naturalibus idcirco probè distinguendi, omniumque omnes possibles prænoscendæ sunt causæ, ut plurim in unicam concursus fidem faciat de vera, & legitima, a qua indicationes desumantur, antequam remedium, quod ab his suggeritur, eligatur. Ab hac seu signorum, seu symptomatum analysi, quæ Semejoticæ, non minùs, ac Pathologiæ opus esse debet, & exinde recurrente in casibus particularibus synthesi, nanciscimur judicii Medici, quod difficile meritò asserit Hippocrates, quinimò eum, & solertiæ, & dexteritatis habitum, quo cuilibet læsioni, quæ opportuna sunt, tandem dignoscamus.

Demum (quod alterum est medentis munus)

si prædictis rationalem Pharmaceuticam con-jungamus, id est, Physicam indaginem naturæ remedium, & effectuum, quos in humano corpore, sive fano, sive morbo, sive qua-cunque alia ratione affecto præstare valent, ita procul dubio Medicis auxiliis uti discemus, & ea certitudine, qua Nauta remos, & vela ad-hibet ad navim gubernandam; adque hinc fiet ut Artificem non pudeat frustrati, aut non præ-visi successus, sed respondente pharmaco inten-tioni præscribentis, si effectus opportunus sit, in ægri omnino cedat utilitatem; & propterea, si ex Physiologia, Anatome, IGINA, Patholo-gia agendorum opportunitas perspecta sit, nil aliud supereft ad Artis complementum, nisi ut a Pharmaceutica rationali mutuemur instru-menta, quibus curationes, eo quo decet even-tu, & securitate, non inter ambages, & peri-cula, id est, non empiricè, sed dogmaticè insti-tuamus.

Cum igitur ex his omnibus conjunctis ægro-rum sanandorum artificium coalescat, eaque non ab usu, non ab exercitatione, non ab ex-perimentis tantùm, sed ulterius, imò præcipue ab acri judicio Medici in Theorica Medica versati possint obtineri, breviùs dicam à judicio Medici Physico-mechanici, palàm est Praxim Medicam sine Theorica, Theoricam verò Me-dicam sine Mathesi nullam esse, aut haberi posse.

Afferant

Afferant nunc Empirici, si possunt, aliud esse mederi, aliud philosophari; aliud Theoreticas in scholis instituere disquisitiones; aliud Practicas manus ægris admovere; etenim licet ultrò fatendum sit, totam Philosophiam ad usum Medicinæ non referri, constantissimè tamen afferendum videtur, medentium opus nil aliud esse, quam perpetuum, sed verè, & solidè philosophari & praxim exercere nil aliud, quam Theoricam Medicinæ partem in usum, & ægrorum beneficium convertere.

Ut hoc magis elucescat, mecum advertatis velim, praxim Medicam habitum quemdam esse non corporis, sed animi; ideoque sicut in gymnasticis, corporis dexteritas, & membrorum agilitas crebra corporis exercitatione comparatur; ita & ad acquirendum habitum intellectualis opus esse, ut Mens ipsa seria, & repetita meditatione exerceatur. Ad obtainendam igitur praxim Medicam necessitatem est, ut circa objectum, & instrumenta Medicinæ plurimæ instituantur cogitationes, ita ut antequam manus operi admoveatur, omnia, si fieri potest, perspecta, & cognita sint, quæ ad hominis Naturam quoquo modo, ad finem tamen artis relata, videntur pertinere. Hanc si quis adipisceretur notitiam, atque hinc fluentem rectè judicandi de ægrorum temperamento, de morborum essentia, de qualitate, & gradu læsionum, & de remedii in usum vocandi condi-

tionibus, promptitudinem, is profectò habitum Medicum, etiam si nullum ægrum antea attigerit, sibi comparasse diceretur, & propterea Hippocrates lib. de Arte clare profitetur Medicum, qui suffecerit ad cognoscendum, sufficere quoque ad sanandum, quasi ac eorum, quæ ad Medicum attinent, notitia, vel ipsissima curatio sit, vel non magis a curatione absit, quam a Sole calor, aut lux.

Verum quidem est prædictorum omnium sufficientem cognitionem paucorum annorum curriculo obtineri non posse, & fortasse nunquam absque occurrentibus in praxi casibus, qui continuas suggerunt occasiones observandi, & meditandi, id quod antea meditatum non fuerat, aut observatum, quamobrem exercitatum Medicum non exerceitato præpono, dummodò tamen reapse, non solum nomine tenus, exercitatus sit. Neque enim practicus Medicus is censendus est, qui sola invisorum ægrorum multitudine, aut longævitate Artis eminent, nisi ex utraque occasionem sibi fecerit legitimas morborum causas indagandi, easque pro casuum diversitate probè distinguendi, auxilia cuilibet appropriandi, eorumque vires, & agendi rationes venandi, ex quibus oritur tandem habitudo in Medente, & practica, quam ajunt, Medicinæ. At hæc agentes non aliud mihi efficere videntur, quam philosophari, & Physica theorematum in beneficium ægrotantis

con-

convertere. Sicuti ergo qui ex usu prænarrata non noverit, Philosophi nomine dignandus non est, ita nec Medici, nisi Empirici, nisi Pyrronii, & ex eorum numero, quorum famæ tutelam, nisi assumeret Natura illa, quæ morborum medicatrix dicitur, quorumque delicta, nisi occultaret aut humus, aut tumulus, ex hominum cœtu expungerentur. Constat igitur, eum fore optimum Medicum, qui fuerit optimus Theoricus, & Artis exercitium, ideo esse in Artifice necessarium, quia Theoricam perficit, quia judicium, & ratiocinium philosophicum dirigit, non quia sicuti ex saltante fit saltator, ita ex usu medendi, medendi habitus, & praxis acquiratur.

At ajunt Physicam scientiam omnino incertam existere, & vacillare principia quibus inititur; ingeniosas quidem esse Physicorum speculationes, sed tanta opinionum diversitate distractas, ut non possint tam labili fundamento curationum moles inædificari; firmiter enim stat quod ab experientia confirmatur, nutat quod ab opinione desumitur; satis esse Medico si diagnostica, & prognostica signa calleat; illa ut morborum species distinguat; hæc ut eorundem exitum in salutem, aut mortem prædicere valeat: si cognita specie morbi plura habeat in promptu remedia ejusdem morbi expugnativa, & ut ajunt specifica: si noscat Rhabarbarum alvum solvere, Raphanum urinas

ciere, Lapidem bezoar sudores, Corticem peruvianum febres profligare, Ipecuanam expugnare dysenteriam, Guajacum luem venereum, Opium somnum inducere, & dolores sedare, & sexcenta alia, quibus Practicorum libri referti sunt.

Hæc omnia veri quidem speciem habent, ideoque incautos fallunt, aut desidiosos, quibus propterea latentem in herba anguem præmonstrare, summæ pietatis est. Experientia quidem jure optimo rerum, & Artium magistra dicitur, omnibusque votis optandum esset, posse illi uni Medicinam totam concredi. Verum tamen non ea est, ut vidistis, Artis Medicæ indoles, quæ patiatur, ut allegato ratione exponitur illi, quam non habent, nec habere possunt Empirici, Artis summam committamus.

Experientia quæso quid est? nisi memoria eorum, quæ semper, & eodem modo contingunt: Sic ab experientia habere dicimur ignem calore, glaciem frigore, aquam humiditate donari, quia in igne calorem, in glacie frigus, in aqua humiditatem semper reperiisse meminimus. Jam respondeant Empirici: Estne in universo remedium censu ullum, cuius effectus semper Medicis indulget voluntati? Non sanè. Testis sit Hippocrates Medicorum omnium experientissimus, qui *libro de Medicam. purgan.* rem prout est sincerè fatetur: *Idem inquit Medicamentum*

pur-

purgat, & non purgat; quandoque vero alia purgat, quam quae purgare solet, aliquando nimium purgat, aliquando ea, quae debet, facit; cuius inconstantiæ si redarguuntur purgantia pharmaca omnium validissima, & probatores effectus, quid de alterantibus dicendum erit? quid de specificis? quorum longè minor efficacia deprehenditur. Non ergo de ullo remedio certa habetur experientia.

At respondent; Medicamentorum effectus, si non semper, saltem plerumque succedere, & hoc satis esse ad salvandam Medicam experientiam. Igitur, regero ipse, Experientia Medica particularis est, non ut in cæteris Artibus universalis, ideoque deterioris omnino conditionis. Unde hoc? an quia vis morbi, cui nulli sunt limites, superet quandoque virtutem pharmaci? Sit; at qui experientiam se habere jaçat, novisse debet, improportionatum esse morbo remedium, sicuti novimus omnes pauxillo aquæ magnum incendium non restinguiri; & si hoc ipsum latet, cæcè admodum procedit, licet videatur experientia suffultus.

Verum tamen examinemus parumper, qua ratione Experientia medica possit comparari. Certum est successuum memoriam dupli tantum via acquiri posse; videlicet vel per experimenta, vel per observationes; per has quidem, si nihil ad effectum præparemus, ut contingit, cum casu, aut necessitate, seu Natura di-

rigente ducti, in eorum, quæ eveniunt, cognitionem devenimus. Ita ab observatione docemur, æstatem calidam esse, hyemem vero frigidam, corpora ad invicem non penetrari, noctes diebus succedere, dies noctibus. Per experimenta vero, quoties his illa applicando arte quadam utimur, vel in modo applicacionis, vel in delectu applicandorum, vel in proportione eorundem, & generalius in exequendis iis omnibus, quæ ad effectum certè habendum necessaria sunt. Jam ad rem deveniamus. Experimentum quidem, monente Hippocrate, periculofum est in Arte Medica: cur enim a verruncandæ febri potius Cichoream adhibeamus, quam Cicutam? cur Corticem peruvianum potius, quam Taxum? cur Gentianam potius, quam Aconitum? Fas est credere, antiquis temporibus ante Artis constitutionem, non semel remediorum loco usurpata fuissa venena, & nonnullorum malo cæteros cautos evasisse. Idem etiamnum accideret, si absque ullo, antecedentis experientiæ, aut rationis adminiculo temerarius Empiricus nova pharmaca in lucem proderet, ut in eorum locum, quorum infirmitas, ne dicam inanitas exprobratur, ea substitueret.

Sed liceat nova tentare in ipsis etiam hominibus experimenta; liceat etiam, si libet, nonnullorum vitas periclitari, ut virtutis pharmaci, quod cæteris profuturum speratur, notitia com-

comparetur. An non ex eo quod ab exhibita po-
tione, ægri sanitas consequatur, certi erimus,
eam valetudinis causam fuisse, potius quam a-
liam? scilicet vel naturam causæ morbificæ spon-
te evanescens, vel aeris constitutionem muta-
tam, vel novum alimenti genus, vel mille alia,
quibus clementiâ naturæ, potius quam a reme-
diis non infreque[n]ter juvamur. Per hujus ge-
neris experimenta intra materiæ medicæ clau-
stra irrepere, & amuleta, & sigilla, & mor-
borum transplantationes, & signaturæ, & sym-
pathica remedia, & cantiunculæ, & quidquid
callidior superstitione ad fallendum ignavum vul-
gus novit effingere; iisdem debemus vim illam
portentosam inanum pharmacorum, quibus
Dispensatoria, & Pharmaciæ usque ad nauseam
suffarcinantur, quorum tamen non major est
ad morbum debellandum potentia, quam ster-
ilis arenæ ad fruges proferendas.

In Physicis quidem experimentis, in quibus
omnia in potestate sunt, ad veras causas alicu-
jus effectus revelandas, ea experientium metho-
dus esse consuevit, ut modò unum, modò al-
terum subtrahant eorum, quæ causarum, vel
circumstantiarum vices possunt obtainere, ut
tandem eæ innotescant, a quibus effectus u-
nicè dependet. Hæc Ars sine qua boni ali-
quid raro præstat, in Medicis experimentis
usu venire nunquam potest. Non enim sejun-
gere nobis licet aeris statum ab ægro, quem

experimento subjicimus, non anni constitutio-
nem, non temperamenti conditiones, non ani-
mi pathemata, quæ, ut inquit Cœlius Aurelia-
nus, *mutatione quadam corporis morbos excludunt.*
Rarò ægri impatientia unico remedio contenta
est; sæpiùs etiam Medicus vel parùm sibi con-
stans, vel ne auxiliis videatur destitui, diversa,
ne dicam contrariæ intentionis, pharmaca, vel
in unum propinat, vel invicem succendentia præ-
scribit, ut tandem nescias, uni, an alteri, an
omnibus, an nulli sanitas debeatur.

Similium casuum observatio posset quidem
in tanta caligine lucem aliquam promere, sed
oporteret, ut nulla interesset diversitas nec ra-
tione causæ in morbo, nec ratione partis in
corpore affecto, nec ratione temperamenti
in ægroto, nec ratione morbi ipsius, cu-
jus, licet intra eandem, ut vulgo censetur, spe-
ciem constituti, tot esse possunt essentiales dif-
ferentiae, ut raro admodum morbus morbo,
affectus affectui ita similis occurrat, ut det lo-
cum repetitioni experimenti alias habiti, quin
potiùs semper quod instituitur novum sit.

Constat igitur, & periculoso esse per ex-
perimenta tentare, & impossibile in ægris re-
ctum experiendi ordinem observare, quin imò
rarissimam occurrere casuum similitudinem, a
qua una emergere potest plurium experimento-
rum in effectu concordia, sine qua nulla expe-
rientia. Æquè igitur impossibile est, ut Me-
dicus

dicus ab experimentis artificiosis memoriam constantium successuum, ideoque experientiam adipiscatur.

Quare remanet, ut si quam habere potest, eam a sola deducat observatione. At effectus, qui ex observatione colliguntur, vel tales sunt, ut nullis, aut paucis alligentur circumstantiis, quales ut plurimum a causis validissimis, vel se solis operantibus proficiscuntur; aut ex eorum censu, qui certas requirunt conditiones, ut exerantur. Primi ordinis effectus rari admodum habentur in humano corpore a remediis, nisi haec ex illorum numero sint, quae corpora vehementer laedunt, & corruptunt, quorum actiones per evidentem incursionem, ut Sexti Empirici phrasí utar, percipiuntur. Qui verò in secundo ordine locantur (ii nimirum, quorum causæ statas conditiones, vel aliarum causarum concursum requirunt, ut operentur) rectè nequeunt a quocunque observari, at solum ab eo, qui causarum, & circumstantiarum omnium vires noverit, ut saltem in suspicionem deveniat possibilis dependentiæ effectus a sua causa, & circumstantiis, quam ubi per multiplices observationes determinaverit, jam via ad experientiam complanata apparebit. Vires autem causarum, & conditionum nemo exactè unquam percipiet, qui Theoricæ Medicinæ jejonus extiterit. Nemo igitur observationibus rectè instituendis, & experientiæ ex iis nascendæ indeus

doneus fiet, nisi per Theoricas contemplationes. Hinc Soranus, *experientiam sine ratione exercentes, & in honestam Artem risui dare, & alienum Medicinæ opus adhibere, afferit; sola quippe ratio breviter ad utilitatem perducit, & tanquam cæcam imperitiam, id est experientiam dicit.* Hinc obseruationes sine discursu, fortuitæ, casuales, accidentales censemur; ubi verò acri judicio fulciantur, & Observator rigidum circa observata examen instituerit, desinunt esse fortuitæ, adeo ut sit verum illud Aristotelis, *ubi plurimum de intellectu, ibi minimum de fortuna.* Hinc tandem ratiocinata obseruatione non firmatur experientia, meritò imperitia, meritò non Artium, non rerum, sed stultorum magistra nuncupatur.

Noverit Empiricus a Colocynthide alvum sollicitari, sed in arripienda occasione Colocynthide utendi, & certò, & tutè, & opportunè, omnino cæcutiet: Respondebit quandoque effectus, sed casu; aliquando autem non respondebit; saepius inopportunè; semper cum ægri periculo, aut detimento. Huc tandem redit jactata, & tam latè venundata illorum experientia, qui studium Medicum à Physico diversum faciunt, quique a praxi, omne de morbo, ejusque causis ratiocinium excludunt.

Observeatio quidem eorum, quæ in exercitio Artis contingunt, non modo utilis est, sed & necessaria; immò ita, ut nemo eorum, qui Empiricam vehementius odere, absque observatio-

ne, aut Artem constitui, aut quenquam Medicum fieri posse arbitratus sit. Semper ab omni ævo remediorum, & morborum eventus observati sunt: innumeri prostant libri, quibus medicationes veluti in fastos recensentur, quibusque remediorum vires describuntur; ita ut non eo nomine videatur infelix Medicina, quod observationibus careat, sed quod Observatoribus caruerit, qui recte & utiliter observandi artificium callerent. Quod ergo tot sæculorum conjunctus labor non potuit, fortean nobis spondebimus a paucis Observatoribus, iisque fortuitò agentibus, & absque lege, absque methodo observations instituentibus? potius quam ab illis, qui rationabili in observando solertia potiti, novere observata phænomena in suas causas resolvere, quique, ut ait Hippocrates lib. de Arte, *præsentia considerant, & de præsentibus juxta præterita ratiocinantur.*

Sed videamus pro coronide, an haberi possint medicamenta specifica, quæ Empiricorum ultima vota sunt. Specifica vocant illa remedia, quæ sui innata potestate certæ morborum speciei opponuntur; idcirco toti in signis sunt, nam per eam specie morbi determinata, satis esse putant si exhibeatur specificum ad illum eradicandum. Hinc inquirenda esse clamitant hujuscce ordinis pharmaca, utpote a quibus solis valetudo possit expectari.

Oh quam bellè sibi, & nobis assentantur hujus-

iusmodi Syrenes; sibi quidem operis facilitate, nobis curationis felicitate; Verum tamen *Opinio* (verba sunt Magni Verulamii lib. 4. de augmendo Scientiarum) fuerit magis *blanda*, quam *vera*, si quis existimet, medicamentum aliquod, tam potens, aut felix fieri posse, ut usus ejus *simplex*, curationi alicui grandiori sufficiat. Et inferius subdit: Sciant pro certo *Medici*, posse tria fortasse, aut quatuor medicamenta, ad morbum aliquem graviorem curandum rectè præscribi, quæ debito ordine, & debito intervallo assumpta curationem præstent, quorum singula si per se tantum sumerentur, aut intervallum non servaretur, fuerint prorsus nocitura. Hæc Verulamius, qui adeo rem acu tetigit, ut non magis excercitatissimus quisque; quippe quid quæso sunt istæ morborum species? An credendum etiam in accidentalibus aberrationibus, quales & vel aliud sunt morbi, suas species constituisse Deum Optimum Maximum, sicuti in plantis, & animalibus? A mente nostra, non a Natura species morborum derivant; utinam in iis distinguendis normam læsionum, aut causarum sequuti essemus cum Francisco le Boe Silvio, potius quam cum cæteris ferè omnibus, symptomatum, quorum congeries raro, aut nunquam repetita observatur. Hinc est, quòd Apoplexiæ, Letargi, Anginæ, Pleuritides &c. tam diversæ occurrant in praxi, ut iisdem remediis in omnibus uti, idem sit, ac magnam partem ægro-

ægrorum in certum vitæ discriminem conjicere. Si igitur non sunt a Natura distinctæ morborum species, quomodo erunt remedia prædictis speciebus opposita? Sane morborum curatio tota artificiosa est, & sicut Pictoria Ars non tot diversis utitur penicillis, aut coloribus, quot sunt imagines effingendæ, & Scriptoria non tot habet characteres, quot dictiones; sed iisdem penicillis, & coloribus paucisque literis, & quidquid pingitur, & quidquid scribitur, ita etiam in Arte medica non specificorum inventio, non remediorum farrago; sed pauca, intentionum tamen, quas casus suggerit, opportuninati accommodata, suo ordine, suo tempore, suis circumstantiis, eaque, qua decet, dexteritate præscripta totum implent curandi Artificium.

Valeant igitur cum suis specificis Empirici, & tandem agnoscant, se & injuria increpare Theoricum Medicinæ studium, & falli, si extra Physicæ pomeria, solum verò intra irrationalis experientiæ cancellos, Artis quærunt felicitatem. Languet siquidem adhuc Medicina practica, ut adhuc probatum est, quia veræ morborum causæ in lucem proditæ non sunt; quia legitimi partium humani corporis usus; quia earum actiones ad vitam, aut valetudinem ordinatæ; quia humorum naturalis constitutio; quia remediorum natura, activitas, agendi ratio, & ad agendum requisitæ conditiones adhuc integrè perspectæ non sunt; uno verbo quia

Scien-

Scientia naturalis de Homine non satis ad veritatem exulta est; & quia Ars Medica, rationalis licet specie condecorata, empirica tamen pene tota, ob veræ Physicæ defectum hucusque jacere coacta est.

Igitur si aliquid conferendum tam nobilis disciplinæ instauratiōni, utique in Theorica medica perficienda totus labor impendendus videtur; atque hæc ut firmiori gressu progredi possit, hinc Matheſi, & Anatomiae, hinc Chymiae, & experimentis Physicis innitatur. Neque quenquam terreat operis difficultas, & objecta impossibilitas; pessimè enim de se ipsis, de Humano genere sentire mihi videntur, qui hæc obtrudunt, nimium flocci facientes humani intellectus acumen, cuius portenta noveritis omnes, si navigandi Artem, Perspicillorum fabricam, Artem bellicam, Chymicam, Geometriam, Mechanicam, Algebram, vel leviter percurreritis, & ne extra Artem nostram exempla desumantur, si animadverteritis Doctrinas de muscularum contractione, de motu liquidorum, de respiratione, de visione, de pulsibus, de sanguinis missione, non ita pridem adeo inclariuisse, ut parum absit, quin eas asserramus apodicticis demonstrationibus confirmatas: usque adeò verum est, nihil esse tam altè absconditum, quod assidua meditatio, & improbus in experiencingo, & observando labor tandem aliquando non revelet.

Ignobili

Ignobili igitur excussa desperatione erigantur animi ad Theoricam Medicinæ enucleandam : eam excolat, qui artis inhiat incremento ; eam, qui humanæ salutis desiderio accenditur ; hanc & nos in posterum jubentibus Illustriss. & Excellentiss. Archilycei hujus Moderatoribus optimis, quorum in literas studium, erga literarum cultores amor rara admittit comparationis exempla ; hanc, inquam, & nos in posterum tantis sub auspiciis ex hoc subsellio profitebimur, & ne ullum sit veritati detrimentum posthabita quacumque auctoritate, veritatem solum ipsam undequaquam perquirentes, conabimur per experimenta, observationes, rationes, etiam, prout res tulerit, Mathematica, & denique si aliter fieri non possit, per hypotheseon, sed dilucidarum constitutionem, opus confidere. Suus tamen erit in hoc progressu Veteribus honos, suus Recentioribus, neque enim arbitror quemquam confodiendum esse, quod singula non noverit in Arte difficillima, sed potius in iis commendandum, quibus Artem ipsam ditaverit, quo fit, ut quoniam à Veteribus plurima ad nos pervenere omni laude digna, ea defraudandi non sint. Non ideo tamen cuncta eorum monumenta cogimur adorare : si quidem cum scientiæ ex additamento fiant, & veterascens mundus semper evadat sapientior, nulla ratio suadet, ut Neotericorum inventa contemnantur, sed potius ut iis si quid

146 *Prælectio pro Theoria Medica.*

minus appositiè ab antiquis prolatum est, ad meliorem frugem redigatur.

Ad veritatem igitur aut antiquitùs, aut novissimè perspectam nostrorum laborum lineas dirigemus; sic enim fieri posse remur, ut tandem si non nostris, saltem posterorum temporibus Ars medica sensim verè rationalis evadat, & Auditores ad eam capessendam non minus ac ad praxim exercendam perquām optimè disponantur.

D I C E B A M.



R E-

RERUM INDEX.

A.

Aer alimentum homini summe necessarium. 36. Cur, subtracto aere, animal citius moriatur, quam subtracto cibo. *ibid.* Necesitas inspirati aeris. *ibid.*

Anatomæ summus usus. 125
Aqua fluiditatis sanguinis causa. 97

Arteriæ earumque membranæ. 7. Arteriarum constitutio. 11. Dilatatio arteriarum & exinde derivans pulsus quo fine institutus. 18

Attractrix facultas Priscorum omnino commentitia est. 30

B.

Bilis particulæ in sanguine e vena extracto, cutim inficientes. 34

Bilis moleculæ compositum quid ex sale, terra & adusto sulphure sunt. 34

Bilis quomodo chylo immiscetur. 45

Boyleus primus qui genuinam sanguinis naturam explicuit. 2

C.

Calor lymphæ sanguineæ. 81

Chirurgie usus. 125

Chylus quid sanguini profit.

31. & seqq.

Chylus propriæ quomodo fiat.

43. Ejus materia. 44

Chylificationis principale organum. 43

Chymus propriæ quid, & quomodo perficiatur. 45

Chymosus latex ubi & quomodo absorbeatur. 46

Cor cur Natura in medio corporis non collocarit. 15

Crassamentum rubrum. 53

Crassamenti subalbidi concretiones non in sphærarum rotunditate, sed in staminum longitudine disponuntur. 60 & seqq.

E.

Embryonis generatio. 86

Empirici confutati. 117

Exsanguium animalium sanguis cur decolor aut flavescens. 35

F

Fermentativus sanguinis motus. 6. In quo præcise consistat. 24. 25

Figura sanguinis. 4

Frigeris natura. 93

G.

Glandula lenticulares. 43

Gravitas specifica sanguinis qua in re consistat.

97

I.

Ignis natura explicata. 93,

94

R E R U M I N D E X.

L.

- L**ac & Chylus quomodo inter se differant. 50 51
Lacertorum ovo rum lux unde. 94
Luminis natura. 93
Lympba quid. 48

M.

- M**athematica Medico necessaria. 114, 115
Massa humoralis Antiquorum qua in re constiterit. 2.
 Dogma de hac massa humorali explosum. *ibid* & seqq.
Medendi artis felicitas qua in re consistat. 117, 118
Medicamenta quomodo examinanda & danda. 120
Moles sanguinis. 4
Motus in sanguine qui & quales. 5, 6, 14

N.

- N**erveus surculus. 98
Noctilucarum lux unde. 94

O.

- O**lei natura. 66

P.

- P**ancreaticus succus saepius insipidus & alkalinæ naturæ reperitur. 45
Phænomena sanguini succendentia quænam. 98
Pinguedo qua in re consistat. 68. Quomodo pinguedinis materia in sanguine existat. 69, & seqq.


- Piscium sanguis cur ad tam**
 etum sit frigidus. 35
Piscium putrefcentium lux unde. 94


S.


- S**ales in sanguine cunctos status fortiuntur. 72. Sales soluti. *ibid.* Quomodo fusio salium in aqua sanguinis se habeat. 73
Sales volatiles. 74
Salium effectus. 74
Saliva unde. 101, 104
Sanguinis nomine quid veniat. 3. Ad quid destinatus sit. *ibid.* & seqq.
Sanguinis crasis quibus tota fundetur. 31
Sanguis fluidum quoddam aqueum. 67. & seqq.
Semen unde. 104
Serum quid. 53. Quas possideat affectiones. 62
Situs sanguinis. 4
Spiritus animales causæ sunt vitæ proximæ. 38
Sudor unde. 101. est tenuis quædam urina. 104


T.


- T**heoria Medicæ usus. 114
 V.
Vita hominum quibus conditionibus necessario alligetur. 36
Vinalizatio quid. 40
Vitalis flammula explosa. 92
Urina proprie qua in re consistat.











Thomas

owner

